MISSAE PROPRIAE

FESTORUM

DOMINI AC REDEMPTORIS NOSTRI

JESU CHRISTI,

NEC NON SS. VIRGINIS DEI GENITRICIS

MARIAE,

SANCTORUMQUE TUTELARIUM

INGENUAE AC EXEMPTAE DIOECESIS

MISNENSIS

JUSSU ET AUCTORITATE

REVERENDISSIMI ET ILLUSTRISSIMI DOMINI

DOMINI

FRANCISCI GEORGII LOCK,

DEI, ET SANCTAE SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA

EPISCOPI ANTIGONENSIS,

EPISCOPATUS MISNENSIS PER UTRAMQUE LUSATIAM

ADMINISTRATORIS ECCLESIASTICI,

ET

LOCI ORDINARII,

Ingenuæ, ac Exemptæ Ecclesiæ ad S. Petrum Budissæ

PRAELATI, ET DECANI INFULATI,

NEC NON

LAUBÆ PRÆPOSITI,

AC PARTHENONIS IBIDEM VISITATORIS PERPETUI &c.

Consentiente Venerabili Capitulo Budissinensi,

In usum Cleri Misnensis Dioecesis denuo editæ.

ANNO MDCCCI.

MISSAE PROPRIAE
FESTORUM
EXEMPTAE DIOECESIS
MISNENSIS.

FESTA JANUARII.

Die XV. Januarii.

IN FESTO

SS. Faciei SALVATORIS J. C.

Introitus. Pſal. 44.

SPecioſus forma præ filiis hominum; diffuſa eſt gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.

Pſal. 66. Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis: illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri. ℣. Gloria Patri.

Oratio.

Domine JESU Chriſte, inviſibilis Patris vera imago! Qui ſanctiſſimæ Faciei tuæ effigiem fidelibus reliquiſti: da gratiam, quæſumus, ut per eam inter ſæculi hujus tenebras illuſtrati, Te á facie ad faciem in gloria videre mereamur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Pro commem. S. Mauri Abbatis.

Oratio.

Interceſſio nos, quæſumus Domine, beati Mauri Abbatis commendet: ut, quod noſtris meritis non valemus, ejus patrocinio aſſequamur. Per Dominum.

Lectio Zachariæ Prophetæ. Zach. c. 8.

Hæc decit Dominus Exercituum: usquequo veniant populi multi, & habitent in civitatibus multis, & evadant habitatores unus ad alterum, dicentes: eamus, & deprecemur faciem Domini, & quæramus Dominum Exercituum: vadam etiam ego. Et venient populi multi, & gentes robuſtæ ad quærendum Dominum Exercituum in Jeruſalem, & deprecandum faciem Domini. Hæc dicit Dominus Exercituum: in diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, & apprehendent fimbriam Viri Judæi, dicentes; ibimus vobiscum: audivimus enim, qnoniam Dominus vobiscum eſt.

Graduale. 2. Cor. 4. 6. Deus, qui fecit de tenebris lumen ſplendeſcere, illuxit in cordibus noſtris, ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei in facie JESU Chriſti.

℣. Exortum eſt in tenebris lumen rectis corde, miſericors, & miſerator, & juſtus Dominus. Alleluja; Alleluja.

℣. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Alleluja.

Post Septuagesimam, omissis Alleluja, & versu sequenti, dicitur.

Tractus. Isai. 50, 6. Corpus suum dedit percutientibus, & genas suas vellentibus: Faciem suam non avertit ab increpantibus, & conspuentibus in se.

Psal. 116. Laudate Dominum omnes Gentes: laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, & veritas Domini manet in æternum.

† Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Luc. 10.

In illo tempore: Exultavit JESUS Spiritu Sancto, & dixit: Confiteor tibi Pater, Domine Cæli & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & revelásti ea parvulis. Etiam Pater: quoniam sic placuit ante te. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo scit, quis sit Filius, nisi Pater; & quis sit Pater, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Et conversus ad discipulus suos, dixit: Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Dico enim vobis, quod multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, & audire, quæ vos auditis, & non audierunt.

Credo.

Offertorium. Psal. 95.

Confessio, & pulchritudo in conspectu ejus: sanctimonia, & magnificentia in sanctificatione ejus.

Secreta.

Ad honorem Vultus Filii tui, Omnipotens Deus, suscipe hoc munus oblatum: qui seipsum hostiam placabilem tibi Patri, nos reconciliando fideliter libavit. Qui tecum vivit, & regnat.

Pro sancto Mauro Abb. Secreta.

Præsta nobis, quæsumus Omnipotens Deus: ut nostræ humilitatis oblatio, & pro tuorum tibi grata sit honore sanctorum, & nos corpore pariter, & mente purificet. Per Dominum.

Præfatio de Nativitat. Domini.

Communio. 2. Cor. 3. 18.

Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu.

Postcommunio.

Satiati corpore & sanguine Filii tui, Omnipotens Pater, sub honore Faciei suæ, cujus memoriale gloriosum nobis reliquit; præsta: ut eadem nobis proficiant ad corporis, animæque salutem. Per eundem Dominum.

Pro sancto Mauro Abbate.

Postcommunio.

Protegat nos, Domine, cum tui perceptione sacramenti beatus Maurus Abbas pro nobis intercedendo: ut & conversationis ejus experiamur insignia, & intercessionis percipiamus suffragia. Per Dominum.

Die XX. Januarii.

IN FESTO

Sanctorum Fabiani & Sebastiani Martyrum,

cum Octava, Missa ùt in Romano.

Die

Die XXI. Januarii.
IN FESTO
S. Agnetis Virginis & Martyris
cum Octava
Missa ùt in Romano.

Die XXII. Januarii.
IN FESTO
Sancti Vincentii Levitæ & Martyris.

Introitus. Psal. 66.

Lætabitur justus in Domino, & sperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde.

Psal. ibid. Exaudi Deus orationem meam, cùm deprecor: à timore inimici eripe animam meam.

℣. Gloria Patri.

Oratio.

Adesto, quæsumus Domine, supplicationibus nostris: ut, qui ex iniquitate nostra reos nos esse cognoscimus, beati Vincentii Martyris tui intercessione liberemur. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Pro commem. Oct. SS. Fabiani & Sebastiani mart.

Oratio.

Infirmitatem nostram respice omnipotens Deus: & quia pondus propriæ actionis gravat, beatorum martyrum tuorum Fabiani & Sebastiani intercessio glorioso nos protegat.

Pro commem. Oct. S. Agnetis V. & M.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui infirma mundi eligis, ut fortia quæque confundas: concede propitius; ut, qui beatæ Agnetis Virginis & martyris tuæ solemnia colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum.

Lectio libri Sapientiæ. Eccli 51.

Confitebor tibi Domine Rex, & collaudabo te Deum Salvatorem meum. Confitebor nomini tuo: quoniam adjutor, & protector factus es mihi, & liberasti corpus meum à perditione, à laqueo linguæ iniquæ, & a labiis operantium mendacium, & in conspectu astantium factus es mihi adjutor. Et liberásti me secundùm multitudinem misericordiæ nominis tui à rugientibus, præparatis ad escam, de manibus quærentium animam meam, & de portis tribulationum, quæ circumdederunt me: à pressura flammæ, quæ circumdedit me, & in medio ignis non sum æstuatus: de altitudine ventris inferi, & à lingua coinquinata, & à verbo mendacii, à rege iniquo, & à lingua injusta: laudabit usque ad mortem anima mea Dominum: Quoniam eruis sustinentes te, & liberas eos de manibus Gentium, Domine Deus noster.

Graduale. Ps. 36. Justus cùm ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.

℣. Tota die miseretur, & commodat: et semen ejus in benedictione erit.

Alleluja, alleluja. ℣. Joan. 8. Qui sequitur me, non anbulat in tenebris: sed habebit lumen vitæ æternæ. Alleluja.

Post Septuagesimam, omissis Alleluja, et Versu sequenti, dicitur Tractus.

Ps. 111. Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur.

℣. Gloria, et divitiæ in domo ejus: et justitia ejus manet in seculum sæculi.

† Sequentia sancti Evangelii secundùm Joannem. Joan. 12.

In illo tempore: Dixit JESUS discipulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit; ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam: et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Si quis mihi ministrat, me sequatur: et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.

Offertorium. Psal. 20.

Posuisti, Domine, in capite ejus coronam de lapide pretioso: vitam petiit à te, et tribuisti ei, alleluja.

Secreta.

Munera tibi, Domine, nostræ devotionis offerimus: quæ et pro tuorum tibi grata sint honore justorum, et nobis salutaria te miserante reddantur. Per Dominum nostrum JESUM CHRISTUM.

Pro SS. Fabiano et Sebastiano Secreta.

Hostias tibi, Domine, beatorum martyrum tuorum Fabiani et Sebastiani dicatas meritis, benignus assume, et ad perpetuum nobis tribue provenire subsidium.

Pro S. Agnete V. et M. Secreta.

Hostias, Domine, quas tibi offerimus, propitius suscipe: et intercedente beata Agnete Virgine, et martyre tua, vincula peccatorum nostrorum absolve. Per Dominum nostrum JESUM CHRISTUM.

Communio. Joan. 12.

Qui mihi ministrat, me sequator: et ubi ego sum, illic et minister meus erit.

Postcommunio.

Quæsumus omnipotens Deus: ut, qui cœlestia alimenta percepimus; intercedente beato Martyre tuo Vincentio, per hæc contra omnia adversa muniamur. Per Dominum nostrum JESUM CHRISTUM.

Pro SS. Fabiano et Sebastiano Postcommunio.

Refecti participatione muneris sacri, quæsumus, Domine Deus noster: ut, cujus exequimur cultum, intercedentibus sanctis martyribus tuis Fabiano et Sebastiano, sentiamus effectum.

Pro S. Agnete. Postcommunio.

Refecti cibo, potúque cœlesti, Deus noster, te supplices exoramus: ut, in cujus hæc commemoratione percepimus, ejus muniamur et precibus. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Die XXIII. Januarii.

IN FESTO

Desponsationis B. Mariæ Virginis cum Sancto Joseph.

Commem. Octavarum ùt supra pag. 5.
Deinde

Pro S. Emerentiana. Oratio.

Indulgentiam nobis, quæsumus Domine, beata Emerentiana virgo, & martyr imploret: quæ tibi grata semper extitit & merito castitatis, & tuæ professione virtutis. Per Dominum nostrum.

De Octavis Secreta ùt supra pag. 6.
Pro S. Emerentiana Secreta.

Suscipe, Domine, munera, quæ in beatæ Emerentianæ Virginis, & Martyris tuæ solemnitate deferimus: cujus nos confidimus patrocinio liberari. Per Dominum nostrum JESUM CHRISTUM Filium tuum: Qui tecum.

De Octavis Postcommunio ùt supra.
Pro S. Emerentiana Postcommunio.

Divini muneris largitate satiati, quæsumus, Domine DEus noster, ut intercedente beata Emerentiana Virgine, & martyre tua, in ejus semper participatione vivamus. Per Dominum nostrum.

Die XXV. Januarii.

In Festo Conversionis S. Pauli Apost.
Pro commem. Sancti Projecti Episc. & martyris.

Oratio.

Martyris tui atque Pontificis Projecti nos Domine, quæsumus, interventio gloriosa commendet: ut, quod nostris actibus non meremur, ejus precibus consequamur. Per Dominum.

Secreta.

Suscipe Domine propitius orationem nostram cum oblationibus hostiarum superimpositis; & beati Projecti Fpiscopi & martyris tui deprecatione pietati tuæ perfice benignus acceptam; & illam, quæ in eo flagravit, fortem dilectionem in nobis aspira. Per Dominum.

Postcommunio.

Votiva Domine, quæ pro beati Projecti Episcopi & martyris tui passione dona percepimus, quæsumus: ut ejus precibus, & præsentis vitæ nobis pariter, & æternæ tribuas conferre subsidium. Per Dominum.

Die XXVII. Januarii.

In Octava

SS. Fabiani & Sebastiani Martyrum Missa: ùt in festo cum commem. S. Agnetis V. & M.

Die XXVIII. Januarii.

In Octava

Sanctæ Agnetis V. & M. Missa propria ùt in die XXVIII. Januarii de S: Agnete secundò.

Die XXIX. Junuarii.

IM FESTO

Sanctæ Othiliæ Virginis.

Missa: Vultum tuum, ùt in communi.

Oratio.

Deus illuminator omnium Gentium, qui mira opera Virtutis tuæ in beata Othilia virgine

virgine tua mirabiliter demonstrâsti: quæsumus immensam Clementiam tuam: ut, sicut ab ea nativæ cæcitatis tenebras effugâsti, ità nobis corporalis luminis gratiam, ac æternæ claritatis gloriam largiaris. Per Dominum.

Sercceca.

Munera tibi, Domine, servitutis nostræ offerimus in beatæ Othiliæ virginis tuæ solemnitate deprecantes: ut, qui ei dedisti gratiam Sancti Spiritûs, eamdem etiam cordibus nostris clementer infundas. Per Dominum nostrum &c. in unitate ejusdem Spiritûs.

Postcommunio.

Adjuvent nos, quæsumus, Domine, & hæc mysteria sancta, quæ sumpsimus; & intercedente beata Othilia virgine tua à cunctis nos erroribus exuant, & ad gaudia æterna perducant. Per Dom.

FESTA FEBRUARII.

Fer. V. post Dominicam Sexagesimæ.

IN FESTO

Inventionis SS. Pueri JEsu.

Introitus. Psal. 47.

Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui: Secundùm nomen tuum Deus; ita & laus tua in fines terræ: justitia plena est dextera tua.

Psalm ibid. Magnus Dominus, & laudabilis nimis: in civitate DEI nostri, in monte sancto ejus.

℣. Gloria Patri.

Oratio.

Tuæ, quæsumus, Domine, propitiationis respectum ad fideles tuos benignus converte: ut, qui B. Mariæ Virgini Matri tuæ, per triduum quæsitus, tandem in templo apparuisti; Te quoque nobis ostendere in aula gloriæ digneris. Qui vivis.

Lectio libri Sapientiæ. Cant. 3.

In Lectulo meo per noctem quæsivi, quem diligit anima mea: quæsivi illum, & non inveni. Surgam, & circuibo civitatem: per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea: quæsivi illum, & non inveni. Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem: num, quem diligit anima mea, vidistis? paululùm cùm pertransissem eos, inveni, quem diligit anima mea: tenui eum: nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.

Graduale. Psalm 45. Adjuvabit eam DEus vultu suo. DEus in medio ejus non commovebitur.

℣. Fluminis impetus lætificat civitatem Dei. Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Tractus. Psal. 44. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam.

℣. Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis: filiæ regum in honore tuo.

℣. Adducentur Regi Virgines post eam: proximæ ejus afferentur tibi.

℣. Afferentur in lætitia, & exultatione: adducentur in templum Regis.

†. Sequentia Sancti Evangelii secundùm Lucam. Luc. c. 2.

Cum

Cum factus esset Jesus annorum duodecim, ascendentibus Jerosolymam secundùm consvetudinem diei festi; consummatísque diebus, cùm redirent: remansit Puer Jesus in Jerusalem, & non cognoverunt parentes ejus. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos, & notos. Et non invenientes, regressi sunt in Jerusalem, requirentes eum. Et factum est, post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia, & responsis ejus. Et videntes admirati sunt. Et dixit Mater ejus ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos: quid est, quod me quærebatis? nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos. Et descendit cum eis, & venit Nazareth: & erat subditus illis. Et Mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo. Et Jesus proficiebat sapientiâ, & ætate, & gratia apud Deum & homines. Credo

Offertor. Psal. 44. Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.

Secreta.

Da, quæsumus, clementissime Pater per hujus Sacramenti virtutem, nobis Spiritualium gratiam gaudiorum; ut, sicut Unigenitus tuus a Virgine Matre mœstè quæsitus, & lætanter inventus fuerat; sic nos post hujus mundi miserias te in æterna claritate cum gaudio invenire mereamur. Per eundem Dominum.

Præfat. de Nativitate Domini.

Communio.

Fili, quid fecisti nobis sic? Ego, & Pater tuus dolentes quærebamus te. Et quid est, quod me quærebatis? nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?

Postcommunio.

Suscepimus, Domine, salutis nostræ Sacramenta, quorum prætextu suppliciter te deprecamur: ut in te sit nostræ mentis jubilatio, qui gloriosæ Virgini Matri tuæ post temporalem tristitiam infinita gaudia contulisti. Qui vivis, & regnas.

Feria III. post Dominicam Quinquagesimæ.

Commemoratio Sancti Bennonis Episcopi & Confessoris.

Missa: statuit ei, ùt in communi Confess. Pontif. præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui nos beati Bennonis Pontificis confessione gloriosa circumdas, & protegis: da nobis & ejus imitatione proficere, & intercessione gaudere. Per Dominum nostrum.

2. Oratio. A Cunctis. 3. Ad libitum. Si verò venerit infra octavam S. Dorotheæ, secunda oratio erit de octava, et tertia de Sancta Maria: Concede.

Evangel. Vigilate. ex Missa: Sacerdotes tui. de eod. communi C. Pont. Non dicitur. Credo.

Serceca.

Sanctus tuus, quæsumus Domine, Benno Confessor et Pontifex nos ubique lætificet: ut, dum ejus recolimus merita gloriosa, apud te semper patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum.

Aliæ Secretæ, Exaudi, etc. seu tempori convenientes.

Communio. Matth. 24. Beatus servus, quem, cùm venerit Dominus, invenerit vigilantem: amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.

Postcommunio.

Quæsumus, Domine, salutaribus repleti mysteriis: ut et sancti tui Bennonis Confessoris atque Pontificis, cujus Commemorationem celebramus, etiam intercessione adjuvemur. Per Dominum nostrum.

Aliæ Postcommuniones tempori convenientes.

Si Feria præfata sit impedita Festo duplici, anticipandum est hoc Officium Feria II. præcedente: Quodsi utraque illa Feria impediatur, eo anno hæc Commemoratio prætermittitur.

Die I. Februarii.

In Festo S. Ignatii, Episcopi & Martyris.

Pro commemoratione S. Brigidæ Virg.

Oratio.

Exaudi nos Deus salutaris noster: ut sicut de beatæ Brigidæ Virginis tuæ festivitate gaudemus; ità piæ devotionis erudiamur affectu. Per Dominum.

Secreta.

Accepta tibi sit, Domine, Sacratæ plebis oblatio, pro tuorum honore Sanctorum: quorum se meritis de tribulatione percepisse cognoscit auxilium. Per Dominum.

Postcommunio.

Satiâsti, Domine, familiam tuam muneribus sacris: ejus, quæsumus, semper interventione nos refove, cujus solemnia celebramus. Per Dominum.

Die III. Februarii.

In Festo S. Blasii Episcopi & Martyr.

Pro commem. S. Wendelini Confessor.

Oratio.

Ecclesiam tuam, quæsumus Domine, beati Wendelini Confessoris tui solemnitas votiva lætificet; ut Spiritualibus semper muniatur auxiliis, & gaudiis perfruatur æternis. Per Dominum.

Secreta.

Laudis tibi, Domine, hostias immolamus in tuorum commemoratione Sanctorum: quibus nos & præsentibus exui malis confidimus, & futuris. Per Dominum.

Postcommunio.

Refecti cibo, potúque cœlesti, Deus noster, te supplices exoramus: ut, in cujus hæc commemoratione percepimus, ejus muniamur & precibus. Per Dominum.

Die

Die VI. Februarii.

IN FESTO

S. Dorothæ Virginis & Mart. cum Octava.

Missa: Me expectaverunt, de communi Virginis & martyris.

Oratio

Omnipotens sempiterne Deus, in cujus nomine gloriosa Virgo & Martyr Dorothea multorum tormentorum genera superavit: te supplices exoramus; ut ejus meritis, & precibus cuncta pericula corporis & animæ evitemus, ipsámque celerem adjutricem in nostris necessitatibus adesse sentiamus. Per Dominum.

Die IX. Februarii.

IN FESTO

Sanct. Apolloniæ Virginis & Mart.

Missa: Loquebar. de communi V. & M.

Oratio.

Æterne ac mitissime Deus: qui ad toleranda pro tui Nominis gloria tormenta carnis, Spiritu fortitudinis electos tuos roborare non desistis; concede propitius: ut, qui gloriosæ Virginis ac martyris tuæ Apolloniæ (quam excussis pro tui Nominis confessione dentibus acerbissima morte, ab hoste maligno triumphare fecisti) Martyrium recolimus; meritis ipsus & precibus a dolore dentium, & ab omni languore corporis & animæ protegi, & eripi mereamur. Per Dominum.

Deinde fit commem. Oct. S. Dorotheæ.

Die X. Februarii.

IN FESTO

S. Erhardi Episcopi & Confess.

Missa: Sacerdotes tui. de communi C. P.

Oratio.

Deus, qui hodiernam diem nobis in beati Erhardi Confessoris tui atque Pontificis solemnitate tribuisti: adesto propitius Ecclesiæ tuæ precibus; ut, cujus gloriatur meritis, muniatur & suffragiis. Per Dominum.

Commem. Oct. S. Dorotheæ ùt supra.

Secreta.

Sacrificium tibi Domine laudis offerimus pro sancti celebritate Erhardi Pontificis; ut propitiationem tuam, quam nostris operibus non meremur, pii suffragatoris intercessionibus assequamur. Per Dominum.

Pro S. Dorothea. Secreta.

Hostias tibi, Domine, beatæ Dorotheæ Virginis & martyris tuæ dicatas meritis assume: & ad perpetuum nobis tribue provenire subsidium. Per Dominum.

Postcommunio.

Tua sancto sumentes, quæsumus Domine Deus noster: ut B. Erhardi Confessoris tui atque Pontificis, nos foveant continuata præsidia. Per Dominum.

Pro S. Dorothea Postcommunio.

Divini muneris largitate satiati, quæsumus Domine Deus noster: ut intercedente B. Dorothea Virgine, & Martyre tua, in ejus semper participatione vivamus. Per Dominum.

Die XII. Februarii.

IN FESTO

S. Caroli Magni Imperatoris Confessoris.

Introitus. Psal. 36.

Os justi meditabitur sapientiam, & lingva ejus loquétur judicium: Lex Dei ejus in corde ipsius.

Psal. ibid. Noli æmulari in malignantibus: neque zelaveris facientes iniquitatem.

℣. Gloria Patri.

Oratio.

Omnipotens et misericors Deus, qui a gloria tua nullam conditionem excludis. Te suppliciter exoramus: ut sicut beato Carolo Confessori tuo post terreni culmen Imperii coelestis regni solium contulisti, ita meritis ejus et precibus nobis quoque famulis tuis æternæ felicitatis præmia largiaris. Per Dominum.

Commem. Oct. S. Dorotheæ ùt pag. 11.

Lectio libri Sapientiæ. Eccli. 31.

Beatus Vir, qui inventus est sine macula: & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia, & thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probatus est in illo, & perfectus est, erit illi gloria æterna: qui potuit transgredi, & non est transgressus: facere mala & non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino & eleëmosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum.

Graduale. Psal. 91. Justus, ùt palma florebit: sicut cedrus libani multiplicabitur in domo Domini.

℣. Ad annuntiandum manè misericordiam tuam; & veritatem tuam per noctem.

Alleluja, alleluja.

℣. Jac. 1. Beatus Vir, qui suffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Alleluja.

Post septuagesimam, omissis Alleluja, & versu sequenti dicitur.

Tractus. Psal. 111. Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur.

℣. Gloria, & divitiæ in domo ejus: & justitia ejus manet in Sæculum Sæculi.

† Sequentia Sancti Evangelii, Secundùm Lucam. Luc. 19.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reverti. Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, & ait ad illos: Negotiamini, dum venio. Cives autem ejus oderant eum: & miserunt legationem post illum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos, Et factum est, ut rediret accepto regno: & jussit vocari servos, quibus dedit pecuniam, ut sciret,

ret, quantum quisque negotiatus esset. Venit autem primus, dicens: Domine, mna tua decem mnas acquisivit. Et ait illi: Euge, bone serve, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates. Et alter venit, dicens: Domine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitates. Et alter venit, dicens: Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario: timui enim te, quia homo austerus es: tollis, quod non posuisti, & metis, quod non seminasti. Dicit ei: De ore tuo te judico, serve nequam. Sciebas, quòd ego homo austérus sum, tollens quod non posui, & metens, quod non seminavi: & quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exegissem illam? Et astantibus dixit: Auferte ab illo mnam, & date illi, qui decem mnas habet. Et dixerunt ei: Domine, habet decem mnas. Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem, qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo.

Offertorium. Psal. 88.

Veritas mea, & misericordia mea cum ipso, & in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

Secreta.

Laudis tibi Domine, hostias immolamus in tuorum commemoratione Sanctorum: quibus nos & præsentibus exui malis confidimus, & futuris. Per Dominum.

Pro S. Dorothea Secreta ùt pag. 11.

Communio. Math. 24. Beatus Servus, quem, cum venerit Dominus, invenerit vigilantem: amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.

Postcommunio.

Refecti cibo, potùque cœlesti, Deus noster, te supplices exoramus: ut, in cujus hæc commemoratione percepimus, ejus muniamur & precibus. Per Dominum nostrum.

De Oct. Postcomm. ùt supra pag. 11.

Die XIII. Februarii.

In Octava

S. Dorotheæ V. & M. dicitur Missa ùt in Festo.

Die XIV. Februarii.

In Festo sancti Francisci Salesii Episc. & Conf. (in Rom. 29. Jan.)

Pro commem. S. Valentini Ep. Martyr.

Oratio.

Concede nobis Domine, per preces Sanctorum tuorum: ut festa Martyris tui Valentini sinè cessatione venerantes, & fidei muniamur auxiliô, & magnificô proficiamus exemplô.

Item

Pro commem. S. Valentini Presbyt. Martyr.

Oratio.

Præsta quæsumus omnipotens Deus: ut,

ut, qui beati Valentini Martyris tui natalitia colimus, à cunctis malis imminentibus, ejus interceſſione liberémur. Per Dominum.

Pro S. Valentino Ep. M. Secreta.

Hoſtias tibi, Domine, beati Valentini Martyris tui atque Pontificis dicatas meritis, benignus aſſume: & ad perpetuum nobis tribue provenire ſubſidium.

Pro S. Valentino Presbyt. M. Secreta.

Oblatis, quæſumus, Domine, placare muneribus: & intercedente beato Valentino Martyre tuo, â cunctis nos defende periculis. Per Dom.

Pro S. Valentino Epiſcopo & martyre.

Poſtcommunio.

Hæc nos communio, Domine, purget à crimine: & intercedente beato Valentino Martyre tuo, atque Pontifice cœleſtis remedii faciat eſſe conſortes.

Pro S. Valentino Presb. M.

Poſtcommunio.

Sit nobis, Domine, reparatio mentis, & corporis cœleſte myſterium: ut, cujus exequimur actionem, intercedente beato Valentino martyre tuo, ſentiamus effectum. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Die XVI. Februarii.

IN FESTO

S. Julianæ Virginis & Martyris.

Miſſa: Me expectaverunt. ex coi V. M.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui infirma mundi eligis, ut fortia quæque confundas: da nobis in feſtivitate Sanctæ Julianæ Virginis & Martyris tuæ congrua devotione gaudere; ut potentiam tuam in ejus paſſione laudemus, & proviſum nobis percipiamus auxilium. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Secreta.

In Sanctæ Martyris Julianæ paſſione pretioſa te Domine mirabilem prædicantes, munera votiva deferimus: præſta, quæſumus; ut ſicut ejus tibi grata ſunt merita; ſic noſtræ ſervitutis accepta reddantur officia. Per Dominum.

Poſtcommunio.

Libantes Domine menſæ tuæ beata myſteria, quæſumus: ut S. Julianæ V. ac Martyris tuæ interventionibus, & præſentem nobis miſericordiam conferant, & æternam. Per Dominum.

Die XVII. Februarii.

IN FESTO

S. Anaſtaſii Martyris.

Miſſa: In Virtute. de coi unius Mart. non Pont.

Oratio.

Adeſto, quæſumus Domine, ſupplicationibus noſtris: ut qui ex iniquitate noſtra reos nos eſſe cognoſcimus;

mus; Beati Anastasii Martyris tui intercessione liberemur. Per Dominum.

Evang. Si quis venit. fol. II.

Secreta.

Munera tibi, Domine, nostræ devotionis offerimus: quæ & pro tuorum tibi grata sint honore justorum, & nobis salutaria, te miserante reddantur. Per Dominum.

Postcommunio.

Quæsumus, Omnipotens Deus: ut, qui cœlestia alimenta percepimus; intercedente B. Martyre tuo Anastasio, per hæc contra omnia adversa muniamur. Per Dominum.

Die XIX. Februarii.

IN FESTO

Sanctæ Scholasticæ Virginis.

(in Rom. 10. huj.)

FESTA MARTII.

Die XVII. Martii.

In Festo sancti Patricii Episc. Conf.

Pro commemoratione

Sanctæ Gertrudis Virginis.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui beatam Gertrudem Virginem tuam, ex regali stirpe progentiam, speciali hospitalitatis gratiâ sublimâsti: concede propitius, ut ejus meritis & precibus, tam præsens, quàm futurum hospitium nostræ fragilitate congruum & tuæ Majestati gratiosè semper inveniamus acceptum. Per Dominum.

Secreta.

Accepta tibi sit, Domine, sacratæ plebis oblatio, pro tuorum honore Sanctorum: quorum se meritis de tribulatione percepisse cognoscit auxilium. Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

Satiâsti, Domine, familiam tuam muneribus sacris: ejus, quæsumus, semper interventione nos refove, cujus solemnia celebramus. Per Dominum.

FESTA APRILIS.

Die IV. Aprilis.

IN FESTO

Sancti Ambrosii Episcopi Confess. & Eccles. Doctoris.

In Romano 7. Decembr.

Omnia dicuntur ùt in Romano 7. Decembris præter hic posita:

Gradual. Eccli 44. Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo.

℣. Non est inventus similis illi, qui conservaret legem excelsi.

Tractus Psal. 111. Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur.

℣. Gloria, & divitiæ in domo ejus: & justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Tempore Paschali omittitur Graduale, & ejus loco dicitur: Alleluja, alleluja.

℣. Psal. 109. Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æter-

 num,

num, secundùm ordinem Melchisedech. Allelujah.

℣. Eccli 45. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum. Alleluja.

Die VI. Aprilis.

IN FESTO

Sancti Isidori Episc. & Conf.

in Romano 4. hujus.

Missa: In medio ecclesiæ. de communi Doctorum; & dicitur Credo.

Die XXI. Aprilis.

IN FESTO.

Sancti Anselmi Episc. & Conf.

Missa: In medio ecclesiæ. ùt in communi Doctorum; & dicitur Credo.

Die XXIII. Aprilis.

IN FESTO.

Sancti Georgii Martyris.

Pro commemoratione.

Sancti Adalberti Episc. & Mart.

Oratio.

Tuam nobis indulgentiam, quæsumus, Domine, beatus Adalbertus Episcopus, & Martyr imploret: ut & delicta nobis clementer ignoscas, & beneficia desiderata concedas. Per Dominum nostrum.

Secreta.

Sacrificium, Domine, exhibitum benignus assume: ut, quod Nomini tuo in sancti Episcopi & Martyris tui Adalberti solemnitate offerimus, nobis prosit ad veniam. Per Dominum.

Postcommunio.

Refecti Domine muneribus sacris supplices te deprecamur: ut indulgentiam tuam nobis intercessio beati Adalberti Episcopi & Martyris tui imploret semper, & impetret. Per Dominum nostrum.

FESTA MAJI.

Die I. Maji.

IN FESTO

SS. Philippi & Jacobi Apost.

in privatis Missis pro commemorat.

Sanctæ Walburgæ Virginis.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, castorum corporum Conservator, & Custos: piis Ecclesiæ tuæ precibus adesse dignare, & intercedente beata Walburga, Virgine tua mentibus nostris pius illabere, & spiritalis vitæ nobis tribue puritate gaudere. Per Dominum.

Secreta.

Concede nobis quæsumus, Domine, ut hæc hostia salutaris intercedente beata Walburga Virgine tua, et nostrorum fiat purgatio delictorum, et tuæ propitiatio Majestatis. Per Dominum.

Postcommunio.

Purificent, et muniant nos tua semper sacramenta Deus; et intercedente beata Walburga Virgine tua ad perpetuæ nos ducant salvationis effectum. Per Dom.

Die II. Maji.

IN FESTO

Sancti Sigismundi Regis Mart.

Missa: Protexisti. ùt in communi unius Martyris

Martyris tempore Paschali, præter sequentes orationes.

Oratio.

Deus, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia est; quæsumus Domine: ut præclaris beati Sigismundi Martyris tui meritis tua bonitas convertat nos à malis, et conservet in bonis; tua voluntas perficiatur in nobis; tua Misericordia salvet nos: ut, sicut tua voluntas sua bonitate non potest privari, ita nunquam nos patiaris à tua Misericordia, gratia, et protectione separari. Per Dominum.

Secreta.

Miserere Domine supplicibus tuis, ut per hæc sancta, quæ tuæ Majestati pro commemoratione sancti Sigismundi Martyris tui offerimus, supernæ benedictionis gratiam obtineamus, et gloriam æternæ beatitudinis acquiramus. Per Dominum.

Postcommunio.

Sanctificet nos Domine Sacramenti salutaris perceptio, & intercedentibus meritis beati Sigismundi Martyris tui, ab omnibus tueatur adversis; ut post hujus exilii labores ad requiem tandem perducamur opulentam. Per Dominum.

Die IV. Maji.

IN FESTO

Sanctæ Monicæ Viduæ.

Pro commemoratione.

S. Gothardi Episc. & Conf.

Oratio.

Exaudi Domine preces nostras, quas in beati Gothardi Confessoris tui atque Pontificis solemnitate deferimus: & qui tibi dignè meruit famulari, ejus intercedentibus meritis ab omnibus nos absolve peccatis. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Secreta.

Da nobis, Domine, quæsumus tuæ pietatis effectum: & intercedente beato Gothardo Confessore tuo atque Pontifice, munera nostra propitius intuere. Per Dominum.

Postcommunio.

Quos donis cœlestibus satiâsti, sancti Gothardi Confessoris tui atque Pontificis, Domine defende præsidiis: ut noxiis omnibus expediti, post salutaria tua toto corde curramus. Per Dominum.

Die VI. Maji.

IN FESTO

S. Joannis Apost. & Evang.

ante portam Latinam, Patroni, Dupl. I. Class. cum Oct. omnia ùt in Romano.

Die XIII. Maji.

In Octava

S. Joannis Apost. ante Portam

Latinam pro commemoratione

Sancti Servatii Episc. & Conf.

Oratio.

Deus, qui populo tuo æternæ salutis beatum Servatium Episcopum ministrum tribuisti: præsta, quæsumus: ut, quem doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis.

Pro commem. ſanctorum Martyrum Nonnominatorum.

Oratio.

Concede, quæſumus, omnipotens Deus ad eorum nos gaudia æterna pertingere, de quorum nos virtute tribuis annua ſolemnitate gaudere. Per Dominum.

Secreta pro S. Servatio Epiſc. Confeſſ.

Hæc oblatio Domine Deus intercedente beato Servatio Pontifice nos ab omnibus emundet peccatis, & tota virtute tuis faciat ſervire mandatis.

Pro ſanctis Martyribus Secreta.

Super has, quæſumus Domine, hoſtias benedictio copioſa deſcendat: quæ & ſanctificationem in nobis clementer operetur, & de Martyrum tuorum nos ſolemnitate lætificet. Per Dominum.

Poſtcommunio pro S. Servatio.

Salutis noſtræ læti libantes myſteria, præſta, quæſumus, Domine: ut beati Servatii Pontificis tui ſemper nos adjuvet oratio, & tua nos ſemper cuſtodiat protectio.

Pro ſanctis Martyribus Poſtcommunio.

Supplices te rogamus omnipotens Deus: ut, quos tuis reficis Sacramentis, tibi etiam placitis moribus dignanter deſervire concedas. Per Dominum.

FESTA JUNII.

DOMINICA III. poſt Pentecoſten.

Sancti Erasmi Epiſc. & Mart.

Miſſa: Sacerdotes Dei, de communi unius Martyris Pontificis.

Oratio.

Omnis bonitatis Origo, & conſummatio Deus: cujus gratia beatus Erasmus martyr & Antiſtes præclarus diverſorum vicit genera tormentorum: fac nos, quæſumus, ejus precibus & meritis cunctas inimicorum noſtrorum inſidias ſuperare, & ab omni anguſtia corporis & animæ liberari. Per Dominum.

commem. Dominicæ.

Secreta.

Offerimus tibi Domine ſacrificium pro veneranda martyris tui atque Pontificis Eraſmi Paſſione, deprecantes Clementiam tuam: ut per hæc ſacro ſancta myſteria antiqui hoſtis tentamenta vincamus & æternæ remunerationis præmium te largiente conſequamur. Per Dominum.

Poſtcommunio.

Gaudeat, quæſumus, Domine, populus tuus ſemper benedictione ſancta ut interceſſione beati Eraſmi martyris tui atque Pontificis temporalibus beneficiis adjuvetur, & erudiatur æternis. Per Dom.

commem. & in fine Evang. Dnicæ.

Die V. Junii.

SANCTORUM Bonifacii Pont. & Sociorum M. M.

Miſſa: Sapientiam Sanctorum de coi plurimor. Mart. Oratio.

Deus, qui multitudinem populorum B. Boni-

Bonifacii Martyris tui atque Pontificis, Sociorúmque ejus inſtantiâ ad agnitionem tui Nominis vocare dignatus es: concede propitius: ut, quorum ſolemnia colimus, etiam patrocinia ſentiamus. Per Dominum.

Evang. Ecce ego mitto: ùt in Romano XI. Junii, in Feſto S. Barnabæ Apoſtoli.

Secreta.

Accepta ſit in conſpectu tuo Domine, noſtræ Servitutis oblatio, & Sanctórum Martyrum tuórum fiat ſupplicatióne ſalutaris, pro quorum tibi ſolemnitate defertur. Per Dominum.

Poſtcommunio.

Supplices te rogamus omnipotens Deus: ut intercedentibus ſanctis Martyribus tuis, & tua in nobis dona multiplices, & vitam noſtram ab omni adverſitate defendas. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Die XVI. Junii.

IN FESTO

Sancti Bennonis Epiſc. Confeſſ. & Patroni Diœces. cum Oct.

Introitus. Eccl. 45.

Statuit ei Dominus teſtamentum pacís, & principem fecit eum: ut ſit illi Sacerdotii dignitas in æternum.

Pſal. 131. Memento, Domine, David: & omnis manſuetudinis ejus.

℣. Gloria Patri.

Oratio.

Deus, qui nos beati Bennonis Pontificis confeſſione glorióſa circumdas, & protegis: da nobis, & ejus imitatióne proficere, & interceſſione gaudere. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiæ. Eccli 44.

Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus ſuis placuit Deo, & inventus eſt juſtus, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio. Non eſt inventus ſimilis illi, qui conſervaret legem excelſi. Ideo jurejurando fecit illum Dominus creſcere in plebem ſuam. Benedictionem omnium gentium dedit illi, & teſtamentum ſuum confirmavit ſuper caput ejus. Agnovit eum in benedictionibus ſuis: conſervavit illi miſericordiam ſuam: & invenit gratiam coram oculis Domini. Magnificavit eum in conſpectu regum: & dedit illi corónam gloriæ. Statuit illi teſtamentum æternum: & dedit illi Sacerdotium magnum: & beatificavit illum in gloria. Fungi ſacerdotio, & habere laudem in nomine ipſius, & offerre illi incenſum dignum in odorem ſuavitatis.

Graduale. Eccli. 44. Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus ſuis placuit Deo.

℣. Non eſt inventus ſimilis illi, qui conſervaret legem Excelſi. Alleluja, alleluja.

℣. Pſal. 109. Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. Alleluja.

 Se-

† Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Matthæum. Matth. 24.

In illo tempore: Dixit Jeſus diſcipulis ſuis: Vigilate, quia neſcitis, qua hora Dominus veſter venturus ſit. Illud autem ſcitote, quoniam ſi ſciret paterfamilias, qua hora fur venturus eſſet, vigilaret utique, & non ſineret perfodi domum ſuam. Ideo & vos eſtote parati: quia, qua neſcitis hora, Filius hominis venturus eſt. Quis, putas, eſt fidelis ſervus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuus ſuper familiam ſuam, ut det illis cibum in tempore? Beatus ille Servus, quem, cùm venerit Dominus ejus, invenerit ſic facientem. Amen dico vobis, quóniam ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.

Credo.

Offertorium. Pſal. 88. Inveni David ſervum meum, óleo ſancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum.

Secreta.

Sanctus tuus, quæſumus Domine, Benno Confeſſor & Pontifex nos ubique lætificet: ut, dum ejus recolimus merita glorioſa, apud te ſemper patrocinia ſentiamus. Per Dominum.

Communio. Matth. 44. Beatus Servus, quem, cùm venerit Dominus, inverit vigilantem: amen dico vobis, ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.

Poſtcommunio.

Quæſumus, Domine, ſalutaribus repleti myſteriis: ut ſancti tui Bennonis Confeſſoris atque Pontificis, cujus ſolemnia celebramus, etiam interceſſione adjuvemur. Per Dom.

Die XXII. Junii.

IN FESTO.

SS. Decem millium Militum M. M.

Introitus. Pſal. 36.

Salus autem juſtórum à Domino: & protector eórum eſt in témpore tribulationis.

Pſal. ibid. Noli æmulari in malignántibus: neque zelaveris facientes iniquitatem. ℣. Gloria Patri.

Oratio.

Deus, qui ad imitandum Paſſionis tuæ exemplum, Beatum Hermolaum, Alexandrum, Marcum, & cum eis decem millia Martyrum crucis ſupplicium ſubire voluiſti: tribue, quæſumus; ut, qui eorum paſſionem veneramur in terris, Paſſionis tuæ remedia conſequi mereamur in Cœlis. Qui vivis.

Pro comm. Oct. S. Bennonis.

Oratio.

Deus, qui nos beati Bennonis Pontificis confeſſione glorioſa circumdas, & protegis: da nobis & ejus imitatione proficere, & interceſſione gaudere.

Pro

Pro. comm. S. Paulini Episc. Conf.

Oratio.

Da, quæsumus, omnipotens Deus: ut beati Paulini Confessoris tui, atque Pontificis veneranda solemnitas & devotionem vobis augeat, & salutem. Per Dominum.

Lectio libri Apocalypsis beati Joannis Apóstoli. Apoc. 7.

In diebus illis: Respondit unus de senioribus, & dixit mihi: Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? & unde venerunt? Et dixi illi: Domine mi, tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei, & serviunt ei die ac nocte in templo ejus: & qui sedet in throno, habitabit super illos. Non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus: quóniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum.

Graduale. Psal. 33. Clamaverunt justi, & Dominus exaudivit eos: & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

℣. Juxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde, & humiles Spiritu salvabit. Alleluja, Alleluja,

℣. Te Martyrum candidatus laudat exercitus, Domine, Alleluja.

† Sequentia sancti Evangelii secundùm Matthæum. Matth. 5.

In illo tempore: Videns Jesus turbas, ascendit in montem, & cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus, & aperiens os suum docébat eos, dicens: Beati pauperes Spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlórum. Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram. Beati, qui lugent: quóniam ipsi consolabuntur. Beati, qui esuriunt & sitiunt justitiam: quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici: quoniam Filii Dei vocabuntur. Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam: quóniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati estis, cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversùm vos, mentientes propter me: gaudete, & exultate quoniam merces vestra copiosa est in Cœlis. Credo.

Offertorium. Sap. 3. Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum malitiæ: visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace, Alleluja.

Secreta.

Suscipe munera, quæsumus omnipotens Deus, pro filii tui passione recolenda, oblata, & concede: ut SS. Crucifixorum Martyrum meritis adjuvemur, quorum, per hæc sancta, passio-

passionem dignissimam veneramur. Per eumdem Dominum.

Pro S. Bennone. Secreta.

Sanctus tuus, quæsumus Domine, Benno Confessor, & Pontifex nos ubique lætificet: ut dum ejus recolimus merita gloriosa; apud te semper patrocinia sentiamus.

Pro S. Paulino. Secreta.

Sancti Paulini Confessoris tui, atque Pontificis, quæsumus, Domine annua solemnitas pietati tuæ nos reddat acceptos: ut per hæc piæ placationis officia, & illum beata retributio comitetur, & nobis gratiæ tuæ dona conciliet. Per Dominum.

Communio. Matth. 10. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, dicit Dominus: & quod in aure auditis, prædicate super tecta.

Postcommunio.

Sumpsimus, Domine, Corpus & Sanguinem Filii tui, sanctorum Crucifixorum Martyrum solemnia celebrantes, quorum meritis, ejusdem Christi Filii tui Passione, à cunctis periculis eruamur. Qui tecum vivit.

Pro S. Bennone. Postcommunio.

Quæsumus Domine salutaribus repleti mysteriis: ut sancti tui Bennonis Confessoris atque Pontificis; cujus solemnia celebramus, etiam intercessione adjuvemur.

Pro S. Paulino. Postcommunio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut de perceptis muneribus gratias exhibentes, intercedente beato Paulino Confessore tuo, atque Pontifice, beneficia potiora sumamus. Per Dominum.

Die XXV. Junii.

Infra Oct. S. Joannis Baptistæ.

Pro commem. S. Elogii Episc. Conf.

Oratio.

Deus, qui largifluó bonitatis tuæ consilio Ecclesiam tuam beati Elogii Confessoris tui atque Pontificis præclaræ vitæ meritis decorâsti, & gloriosis miraculis lætificâsti; concede propitius nobis famulis tuis: ut & ipsius in melius reformemur exemplis, & ab omnibus ejus patrocinio protegamur adversis. Per Dominum.

Secreta.

Da nobis, quæsumus Domine, semper vota nostra gratanter persolvere; quibus sancti Confessoris tui Elogii memoriam recolimus: ut ejus semper laude tuam gloriam prædicemus. Per Dominum.

Postcommunio.

Sumpta Domine cœlestis remedii Sacramenta, ad perpetuam nobis provenire gratiam B. Elogius Confessor tuus obtineat. Per Dominum.

FESTA JULII.

Die IV. Julii.

Infra Oct. Visitationis B. M. V.

pro commemoratione

S. Udalrici Episc. Confess.

Oratio.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus: qui nos annua recurſione depoſitionis ſancti Udalrici Confeſſoris tui atque Pontificis lætificas; ejus ſuffragantibus meritis concede: ut ab imminentibus periculis liberemur, & æternis gaudiis perfrui mereamur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Secreta.

Hæc tibi, Domine, quæſumus, beati Udalrici Confeſſoris tui, atque Pontificis grata reddatur oblatio, & noſtrum Famulatum purificet. Per Dominum.

Poſtcommunio.

Deus, fidelium remunerator animarum, præſta, quæſumus; ut beati Udalrici Confeſſoris tui atque Pontificis, cujus venerandam celebramus feſtivitatem, precibus ejus indulgentiam conſequamur. Per Dominum.

Die VIII. Julii.

IN FESTO

SS. Chiliani Epiſcopi & Sociorum Martyrum.

Miſſa: Salus autem; ut ſupra pag. 20. in Feſto SS. Decem millium Martyrum præter orationes ſequentes.

Oratio.

Deus, qui hodierna die beatum Chilianum martyrem tuum atque Pontificem virtute conſtantiæ in paſſione roboraſti: quique illi ad prædicandum gentibus gloriam tuam Colomannum & Totnanum ſociare dignatus es: tribue nobis, quæſumus, ex eorum imitatione, pro amore tuo proſpera mundi deſpicere, & nulla ejus adverſa formidare. Per Dominum.

Pro commem. Viſitat. B. M. V.

Oratio.

Famulis tuis, quæſumus, Domine, cœleſtis gratiæ munus impertire; ut, quibus beatæ Virginis partus extitit ſalutis exordium, Viſitationis ejus votiva ſolemnitas pacis tribuat incrementum. Per Dominum.

Secreta.

Hoſtia Domine, quam ſanctorum Martyrum tuorum Chiliani, Colomanni, & Totnáni Natalitia recenſentes offerimus, quæſumus: ut vincula noſtræ pravitatis abſolvat, & tuæ nobis miſericordiæ dona conciliet. Per Dominum.

Pro Viſitat. B. M. V. Secreta.

Unigeniti tui, Domine, nobis ſuccurrat humanitas: ut, qui natus de Virgine, Matris integritatem non minuit, ſed ſacravit, in Viſitationis ejus ſolemniis, noſtris nos piaculis exuens, oblationem noſtram tibi faciat acceptam Jeſus Chriſtus Dominus noſter: Qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus.

Præfat. de Oct.

Poſtcommunio.

Quæſumus, omnipotens Deus: ut, qui cœleſtia alimenta percepimus, intercedentibus ſanctis Martyribus tuis Chiliano, Colomanno, & Totnáno per hæc con-

tra omnia adversa muniamur. Per Dominum.

Pro Visitat. B. M. V. Postcommunio.

Sumpsimus, Domine, celebritatis annuæ votiva Sacramenta: præsta, quæsumus; ut & temporalis vitæ nobis remedia præbeant, & æternæ. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

Die XI. Julii.

IN FESTO.

S. Brictii Episcopi Martulani Confessoris, Compatroni Diœces.

Missa: Sacerdotes tui, ùt in communi Confessoris Pontificis, præter orationes sequentes.

Oratio.

Moveat pietatem tuam, quæsumus, Domine, subjectæ tibi plebis affectus, & misericordiam tuam supplicatio fidelis obtineat: ut, quod meritis non præsumit, per intercessionem sancti Brictii Confessoris tui atque Pontificis indulgentiæ tuæ largitate percipiat. Per Dominum.

Pro comm. S. Pii Pap. & Mart. Oratio: Infirmitatem, ex Missa: Statuit. Mart. Pontificis.

Secreta.

Propitiare, quæsumus, Domine, supplicationibus nostris, & interveniente pro nobis beato Brictio Confessore tuo atque Pontifice, his Sacramentis cœlestibus servientes, ab omni malo liberos esse concede: ut purificante nos gratia tua, hisce, quibus famulamur, mysteriis emundemur. Per Dominum.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut de perceptis muneribus gratias exhibentes, intercedente beato Brictio Confessore tuo atque Pontifice beneficia potiora sumamus. Per Dominum.

Die XIII. Julii.

IN FESTO

S. Margaritæ Virg. & Mart. (in Romano 20. huj.)

Missa: Me expectaverunt, ùt in communi Virginis & Martyris.

Oratio.

Deus, qui beatam Margaritam Virginem hodierna die per martyrii palmam ad Cœlos venire fecisti; concede nobis, quæsumus: ut ejus exempla sequentes ad te pervenire mereamur. Per Dominum.

Secreta.

Hæc victima, quæsumus Domine, pro beatæ Virginis Margaritæ martyrio oblata, & mentium nobis sanctitatem, & corporum obtineat sanitatem. Per Dominum.

Postcommunio.

Hujus Domine perceptione Sacramenti & beatæ Margaritæ Virginis &

& Martyris intercessione, & tu in nobis manere dignare, & nos in te vicissim manere concede. Per Dominum.

Die XV. Julii.

IN FESTO

Divisionis SS. Apostolorum.

Introitus Psal. 138.

Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principátus eórum.

Psal. ibid. Domine probâsti me, & cognovisti me: tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam.

℣. Gloria Patri.

Oratio.

Deus, qui in tuorum divisione Apostolorum, gentium multitudinem in unitate Fidei ad agnitionem tui sancti Nominis convocâsti: aures tuæ pietatis Ecclesiæ precibus inclina, & concede; ut quorum prædicatione te cognovimus, horum obtentu in confessione veritatis tuæ fideliter, firmitérque maneamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Lectio Epistolæ B. Pauli Apostoli ad Romanos. c. 10.

Fratres: corde enim creditur ad justitiam: ore autem conféssio fit ad salutem. Dicit enim scriptura: omnis, qui credit in illum, non confundetur. Non enim est distinctio Judæi & Græci. Nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum. Omnis enim, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sinè prædicante? quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur? Sicut scriptum est: quàm speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona. Sed non omnes obediunt Evangelio. Isaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui nostro? Fides ergo ex auditu: auditus autem per verbum Christi. Sed dico: Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

Graduale. Psal. 44. Constitues eos principes super omnem terram: memores erunt nominis tui Domine.

℣. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: propterea populi confitebuntur tibi Alleluja, Alleluja.

℣. Nimis honorati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum. Alleluja.

† Sequentia sancti Evangelii secundùm Lucam. Luc. 9.

In illo tempore: Convocátis Jesus duodecim Apóstolis dedit illis virtutem, & potestátem super omnia dæmonia; & ut languóres curárent. Et misit illos prædicáre régnum Dei, & sanáre infirmos. Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Et in quamcúmque domum intraveritis, ibi manéte, & inde nè exeátis. Et quicumque non receperint vos: exeuntes de civitáte illa etiam pulverem pedum vestrórum excutite in testimónium supra illos. Egressi

autem circuibant per caſtélla evangelizántes, & curántes ubique.

Credo.

Offertorium. Pſ. 18. In omnem terram exivit ſonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum.

Secreta.

Gloriam Domine ſanctórum Apoſtolórum tuórum perpetuam venerántes, quæſumus: ut eam ſacris myſteriis expiati, digniùs celebremus. Per Dominum.

Præfat. de Apoſt.

Communio. Matth. 19. Vos, qui ſecuti éſtis me, ſedebitis ſuper ſedes, judicántes duodecim tribus Iſrael.

Poſtcommunio.

Perceptis, Domine, Sacramentis ſuppliciter exorámus: ut intercedéntibus ſanctis Apóſtolis tuis, quæ pro illorum veneranda gerimus diviſione, nobis proficiant ad medelam. Per Dominum.

Die XXI. Julii.

IN FESTO

Sancti Vincentii à Paulo Conf.

(in Rom. 19. huj.)

FESTA AUGUSTI.

Die III. Auguſti.

IN FESTO.

Inventionis Sancti Stephani Proto-Martyris & Sociorum Confeſſorum.

Miſſa ùt in Romano præter Orationes ſequentes.

Oratio.

Da nobis, quæſumus, Domine, imitari, quod colimus; ut diſcamus & inimicos diligere: quia ejus, ac ſociorum ipſius Confeſſorum, Inventiónem celebramus, qui novit etiam pro perſecutoribus exorare Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum.

Secreta.

Munera tibi Domine devótionis offerimus: quæ & pro tuorum tibi grata ſint honore Sanctorum, & nobis ſalutaria te miſerante reddantur. Per Dominum noſtrum.

Poſtcommunio.

Auxilientur nobis, Domine, ſumpta myſteria: & intercedente beato Stephano Martyre tuo, ſociisque ejus Confeſſoribus, ſempiterna nos protectione confirment. Per Dom.

Die V. Auguſti.

In Dedicatione S. Mariæ ad Nives

Pro commemoratione

Sancti Oswaldi Regis & Martyr.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus: qui beatum Oswaldum Martyrem tuum benignæ largitatis honóre, palmáque martyrii decorâſti: concede nobis per ejus virtutem præſentis vitæ neceſſitatem: ut, cujus memoriam agimus in terris, ejus apud te patrocinium ſentiámus in cœlis. Per Dominum.

Secreta.

Secreta.

Muneribus nostris, quæsumus, Domine, precibusque susceptis: & cœlestibus nos munda mysteriis, & clementer exaudi. Per Dom.

Postcommunio.

Da, quæsumus, Domine Deus noster: ut, sicut tuorum commemoratione sanctorum, temporali gratulamur officio; ità perpetuo lætemur aspectu. Per Dominum.

Die VII. Augusti.

IN FESTO

Sancti Donati Episcopi Mart. Patroni Diœces. cum Octava.

Introitus. Dan. 3.

Sacerdótes Dei benedicite Dominum: sancti & humiles córde laudate Deum.

Ps. ibid. Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula.

℣. Gloria Patri.

Oratio.

Deus tuorum gloria sacerdótum: præsta, quæsumus; ut sancti Martyris tui, & Episcopi Donati, cujus festa gerimus, sentiamus auxilium. Per Dominum.

In Missis privatis pro commemoratione SS. Afræ, & Sociarum M. M. non VV.

Oratio.

Da nobis, quæsumus Domine Deus noster, sanctarum martyrum tuarum Afræ, & Sociarum ejus, palmas inceſſabili devotione venerari: ut quas digna mente non possumus celebrare, humilibus saltem frequentemus obsequiis. Per Dom.

Lectio Epistolæ beati Jacobi Apostoli. Jacob. 1.

Charissimi, omne gaudium existimate, cùm in tentatiónes varias incidéritis: Scientes, quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet: ut sitis perfecti, & integri, in nullo deficientes. Si quis autem vestrûm indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non impróperat: & dabitur ei. Postulet autem in fide, nihil hæsitans: qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento movetur, & circumfertur. Non ergo æstimet homo ille, quòd accipiat aliquid à Domino. Vir duplex animo incónstans est in omnibus viis suis. Gloriétur autem frater humilis in exaltatione sua; dives autem in humilitate sua, quoniam sicut flos fœni transibit: exortus est enim sol cum ardóre, & arefecit fœnum, & flos ejus decidit, & decor vultûs ejus deperiit; ità & dives in itineribus suis marcescet. Beatus vir, qui suffert tentatiónem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.

Graduale. Ps. 36. Os justi meditabitur sapientiam: & lingua ejus loquetur judicium.

℣. Lex Dei ejus in corde ipſius: & non ſupplantabuntur greſſus ejus. Alleluja, Alleluja. ℣. Juſtus non conturbabitur: quia Dominus firmat manum ejus. Alleluja.

† Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Marcum. c. 13.

In illo tempore: Dixit Jeſus diſcipulis ſuis: Videte, vigilate, & orate: neſcitis enim, quando tempus ſit. Sicut homo, qui peregrè profectus reliquit domum ſuam: & dedit ſervis ſuis poteſtátem cujusque operis, & janitori præcepit, ut vigilet. Vigilate ergo, (neſcitis enim, quando Dominus domûs veniat: Serò, an media nocte, an galli cantu, an manè) ne, cùm venerit repentè, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate. Credo.

Offertorium. Pſ. 88. Inveni David ſervum meum, oleô ſanctô meô unxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum conſortabit eum.

Secreta.

Præſta, quæſumus, Domine: ut ſancti Martyris tui, & Epiſcopi Donati interceſſione, quem ad laudem Nominis tui dicatis, muneribus honoramus; piæ nobis fructus devotionis accreſcat. Per Dominum.

Pro SS. Afræ & Socc. M. M. Secreta.

Intende, quæſumus, Domine, munera altaribus tuis pro Sanctarum Martyrum tuarum Afræ & Sociarum ejus feſtivitate propoſita: ut, ſicut per hæc beata myſteria illis gloriam contuliſti, ità nobis indulgentiam largiaris. Per Dominum.

Communio. Matth. 24. Fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam: ut det illis in tempore, tritici menſuram.

Poſtcommunio.

Omnipotens & miſericors Deus, qui nos Sacramentórum tuórum, & participes efficis, & miniſtros: præſta, quæſumus; ut intercedénte beáto Donáto Martyre tuo atque Pontifice, ejusdem proficiámus, & fidei conſórtio, & digno ſervitio. Per Dominum.

Pro Sancta Afra & Socc. Martyribus.

Poſtcommunio.

Præſta nobis, quæſumus, Domine, intercedentibus ſanctis Martyribus tuis: ut, quod ore contingimus, pura mente capiamus. Per Dominum.

Die IX. Auguſti.

IN FESTO

Sancti Cajetani Confeſſoris.

(in Romano 7. huj.)

2. Oratio de Oct. S. Donati E. M. 3. Vigilæ S. Laurentii M. de qua legitur in fine Miſſæ Evang. 4. de S. Romano Mart. quæ terminatur, uti & Secreta: Per Dominum. Sed Poſtcommunio ſumenda eſt ex Miſſa: Lætabitur juſtus, de communi un M. non P.

Die XIX. Auguſti.

IN FESTO

Sancti Sebaldi Confeſſoris.

Miſſa: Os juſti, ut in communi Conf. non Pontif. præter orationes ſequentes.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus: qui vitam ſancti Sebaldi Confeſſoris tui per hujus

jus ſæculi ærumnas laudabilem tranſire feciſti; quæſumus: ut ejus interceſſione plebem clementiæ tuæ ſupplicantem in præſenti commemoratione foveas, & poſt hujus vitæ curſum ad cœleſtia regna perducas. Per Dominum.

Pro Commem. Oct. Aſſumpt. B. M. V.

Oratio.

Famulorum tuorum, quæſumus, Domine, delictis ignoſce: ut, qui tibi placere de actibus noſtris non valemus, Genitricis Filii tui Domini noſtri interceſſione ſalvemur.

Pro commem. ſancti Magni Mart.

Oratio.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris: & intercedente beato Magno Martyre tuo ab hoſtium nos defende propitiatus incurſu. Per Dominum.

Evang. Nemo lucernam accendit, quod habetur ante commune Doctorum pag.

Propter Oct. dicitur Credo.

Secreta.

Propitiare, quæſumus, Domine nobis famulis tuis per ſancti Confeſſoris tui Sebaldi merita glorioſa: ut ejus pia interceſſione ab omnibus ſemper protegamur adverſis. Per Dominum.

Pro Oct. Aſſumpt. B. M. V.

Secreta.

Subveniat, Domine, plebi tuæ, Dei Genitricis oratio: quam etſi pro conditione carnis migrâſſe cognoſcimus, in cœleſti gloria apud te pro nobis intercedere ſentiamus.

Pro Sancto Magno Mart.

Secreta.

Præſta nobis, quæſumus, omnipotens Deus: ut noſtræ humilitatis oblatio, & pro tuorum tibi grata ſit honore Sanctorum, & nos pariter mente, & corpore ſanctificet. Per Dominum.

Poſtcommunio.

Exaudi Domine preces noſtras, ut ſancti Sebaldi Confeſſoris tui, cujus hodie feſta celebramus, meritis & precibus æternitatis gloriam conſequamur. Per Dom.

Pro Oct. Aſſumpt. B. M. V.

Poſtcommunio.

Menſæ cœleſtis participes effecti, imploramus clementiam tuam, Domine Deus noſter: ut, qui Aſſumptionem Dei Genitricis colimus, à cunctis malis imminentibus, ejus interceſſione liberemur.

Pro Sancto Magno Martyre.

Poſtcommunio.

Tua ſancta ſumentes Domine, quæſumus: ut beati Magni Martyris tui nos foveant continuata præſidia. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit.

Die XXI. Auguſti.

IN FESTO.

Sancti Ludovici Epiſcopi Toloſani Confeſſoris.

(in Romano 19. hujus.)

Die XXV. Auguſti.

IN FESTO

Translationis S. Hedwigis Ducis Viduæ.

Miſſa: Cognovi Domine, de communi nec Virginis, nec Martyris.

Oratio.

Da nobis, quæſumus Omnipotens Deus, in te ſemper gloriari, & concede propi-

propitius: ut, qui beatæ Hedwigis Translationis diem annua devotione veneramur, ipsius adjuti auxiliô tuam gratiam consequamur. Per Dominum.

Secreta.

Vultu, Domine, placido nos respice, ea, quæ de manu tua recepimus, offerentes: & quod in nobis tibi displicet, intercedente beata Hedwige, gratia tuæ benignitatis absterge. Per Dominum.

Postcommunio.

Sumpta, quæsumus omnipotens Deus, hostia salutaris, ab adversis nos omnibus tueatur incursibus: & post hujus exilii labores, beatæ Hedwigis intervenientibus meritis, ducat ad requiem opulentam. Per Dominum.

Die XXVII. Augusti.

IN FESTO

Sancti Josephi Calesanctii Conf.

Pro commem. Sancti Ruffi Mart.

Oratio.

Adesto Domine supplicationibus nostris: ut beati Ruffi Martyris tui intercessione confidentes, nec minis adversantium, nec ullo perturbemur incursu. Per Dom.

Secreta.

Oblátis, quæsumus Domine, placare muneribus, & intercedente beato Ruffo Martyre tuo à cunctis nos defende periculis. Per Dominum.

Postcommunio.

Cœlestibus refecti Sacramentis, & gaudiis, supplices te rogamus Domine: ut, quorum gloriamur triumphis, protegamur auxiliis. Per Dominum.

FESTA SEPTEMBRIS.

Die I. Septembris.

In Festo S. Joannæ Franciscæ Fremiot de Chatal, Viduæ.

Pro commem. S. Ægidii Abbatis.

Oratio.

Intercessio nos, quæsumus Domine beati Aegidii Abbatis commedat: ut quod nostris meritis non valemus, ejus patrocinio assequamur.

Pro commem. Sanctorum Xysti Episc. Prisci, Synnicii Martyrum, & Verenæ Virginis.

Oratio.

Omnipotens Sempiterne Deus: fortitudo certantium & Martyrum palma; solemnitatem hodiernæ diei propitius intuere, & Ecclesiam tuam fac Continua celebritate lætari, ut intercessione, beatorum Martyrum tuorum Xysti, Prisci, Synnicii, atque Verenæ omnium in te credentium vota perficias.

Pro commem. sanctorum Martyrum duodecim Fratrum.

Oratio.

Fraterna nos, Domine, Martyrum tuorum corona lætificet: quæ & fidei nostræ præbeat incrementa virtutum, & multiplici nos suffragio consoletur. Per Dom.

Pro Sancto Aegidio.

Secreta.

Sacris Altaribus Domine Hostias superpositas Sanctus Aegidius Abbas, quæsumus, in salutem nobis provenire deposcat.

Pro sanctis Xysto, & Prisco &c. M. M.

Secreta.

Eorum tibi precibus, Domine, quæsumus, grata reddatur oblatio, pro quorum est festivitate immolanda. Pro

Pro sanctis duodecim Fratribus.

Secreta.

Mystéria tua, Domine, pro sanctorum Martyrum tuorum commemoratione devota mente tractémus, quibus nobis & præsidium crescat & gaudium. Per Dom.

Pro Sancto Aegidio. Postcommunio.

Protegat nos, Domine, cum tui perceptione Sacramenti beatus Aegidius Abbas, probis intercedendo: ut et Conversationis ejus experiamur insignia et intercessionis percipiamus suffragia.

Pro sanctis Xysto & Prisco &c. M. M.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut Sacramenti tui participatióne vegetati; Sanctorum quoque Maryrum tuorum precibus adjuvemur.

Pro sanctis duodecim Fratribus.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut, quorum memoriam Sacramenti participatione recolimus, fidem quoque Proficiendo sectemur. Per Dominum.

Die II. Septembris.

In Susceptione sanctæ Coronæ spineæ.

Introitus. Ps. 144.

Regnum tuum, Domine, regnum omnium sæculorum, & Dominatio tua in omni generatione, & genenationem.

Ps. ibid. Exaltabo te Deus meus Rex: & benedicam nomini tuo in sæculum, & in sæculum sæculi.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut qui in memoriam Passionis Domini nostri Jesu Christi Coronam ejus spineam veneramur in terris; ab ipso gloria & honore coronari mereamur in Cœlis. Qui tecum vivit.

Lectio libri Sapientiæ. Cantic. 3.

En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel: omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi. Uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani: columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum: media charitate constravit propter filias Jerusalem. Egredimini filiæ Sian, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.

Graduale. Corona aurea super caput ejus expressa signo sanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis.

℣. Psal. 20. Quoniam prævenisti eum in bedictionibus: posuisti in capite ejus, coronam de lapide pretioso. Alleluja, Allel.

℣. Tuam Coronam adoramus Domine, tuum gloriosum recolimus triumphum. Alleluja.

† Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. c. 19.

In illo tempore: Apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit. Et milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus: & veste purpurea circumdederunt eum. Et veniebant ad eum, & dicebant: Ave Rex Judæorum: & dabant Ei alapas. Exivit ergo iterum Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis, quia nullam invenio in eo causam. Exivit ergo Jesus portans coronam spineam, & purpureum vestimentum. Credo.

Offertorium. Lauda Jerusalem Dominum: quia dabit tibi coronam pro cinere;

nere; & eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Alleluja.

Secreta.

Tuorum militum, Rex Omnipotens, virtutem corrobora: ut, quos in hujus mortalitatis stadio Unigeniti Filii tui corona lætificas; consummato certaminis cursu, immortalitatis bravium apprehendant. Per eundem Dominum.

Præfatio de Cruce.

Communio. O Coronæ miranda dignitas! Mortis pœnas debitas repellis. Tu spes lapsis, firmitas infirmis, tu restauras coronas perditas. Alleluja.

Postcommunio.

Supplices te rogamus Omnipotens Deus: ut hæc Sacramenta, quæ sumpsimus, per virtutem sacræ Filii tui Coronæ, cujus susceptionem pie recolimus, nobis proficiant ad salutem. Per eundem Dom.

Die IV. Septembris.

IN FESTO

S. Lazari a Christo resuscitati.

Introitus. Ps. 3. v. 6.

Ego dormivi, & soporátus sum; & exurrexi, quia Dominus suscepit me.

Psal. ibid. Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum. ℣. Gloria Patri.

Oratio.

Deus, qui per Unigenitum tuum, beatum, Lazarum quatriduanum mortuum de monumento resuscitásti: erige nos, quæsumus, de peccatorum tumulis; ut ab inferni faucibus soluti, ipsum in omnibus malis nobis imminentibus, perpetuum apud Te intercessorem, & protectorem sentiamus. Per eundem Dominum nostrum.

Lectio Ezechielis, Prophetæ c. 37. v. 12.

Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris. Et scietis, quia ego Dominus, cum aperuero sepulchra vestra, & eduxero vos de tumulis vestris, popule meus: Et dedero spiritum meum in vobis, & vixeritis, & requiescere vos faciam super humum vestram: & scietis, quia ego Dominus locutus sum, & feci, ait Dominus Deus. Et scient Gentes, quia ego Sanctificator Israel, cum fuerit sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum.

Graduale. Zach. 4. v. 1. Reversus est, qui loquebatur in me, & suscitavit me, quasi virum, qui suscitatur a somno suo.

℣. Ps. 70. v. 20. Quantas ostendisti mihi tribulationes multas, & malas, & conversus vivificasti me, & de abyssis terræ iterum reduxisti me. Alleluja, Alleluja.

℣. Joan. 12. v. 7. Testimonium perhibebat turba, quando Dominus Lazarum vocavit de monumento, & suscitavit eum a mortuis. Alleluja.

† Sequentia Sancti Evangelii secundum Joannem. c. 11.

In illo tempore: Erat quidam languens Lazarus a Bethania, de Castello Mariæ, & Marthæ sororis ejus. Miserunt ergo sorores ejus ad Dominum dicentes, Domine, ecce quem amas, infirmatur. Audiens autem Jesus dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eam. Ut ergo audivit, quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus. Deinde post hæc dixit Discipulis suis: Lazarus amicus noster dormit: sed

ſed vado, ut a ſomno excitem eum. Dixerunt ergo Diſcipuli ejus: Domine, ſi dormit, ſalvus erit. Dixerat autem Jeſus de morte ejus: illi autem putaverunt, quia de dormitione ſomni diceret. Tunc ergo Jeſus dixit eis manifeſté: Lazarus mortuus eſt; & gaudeo propter vos, quoniam non eram ibi. Sed eamus ad eum. Venit itaque Jeſus: & invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem. Maria ergo cum veniſſet, ubi erat Jeſus, videns eum, cecidit ad pedes ejus, & dicit ei: Domine, ſi fuiſſes hic, non eſſet mortuus frater meus. Jeſus ergo, ut vidit eam plorantem, & Judæos, qui venerant cum ea, plorantes, infremuit ſpiritu, & turbavit ſe ipſum, & dixit: Ubi poſuiſtis eum? Dicunt ei: Domine, veni, et vide. Et lacrymatus eſt Jeſus. Dixerunt ergo Judæi: Ecce, quomodo amabat eum. Quidam autem ex ipſis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere, ut hic non moreretur? Jeſus ergo rurſum fremens in ſemet ipſo, venit ad monumentum. Erat autem ſpelunca: & lapis ſuperpoſitus erat ei. Ait Jeſus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha ſoror ejus, qui mortuus fuerat: Domine, jam fœtet, quatriduanus eſt enim. Dicit ei Jeſus: Nonne dixi tibi, quoniam ſi credideris, videbis gloriam Dei? Tulerunt ergo lapidem: Jeſus autem elevatis ſurſum oculis, dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audiſti me. Ego autem ſciebam, quia ſemper me audis, ſed propter populum, qui circumſtat, dixi: ut credant, quia tu me miſiſti. Hæc cum dixiſſet, voce magna clamavit: Lazare, veni foras. Et ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata. Dixit eis Jeſus: Solvite eum, & ſinite abire. Multi ergo ex Judæis, qui venerant ad Mariam, & Martham, & viderant, quæ fecit Jeſus, crediderunt in eum.

Offertorium. Pſ. 45. v. 9.

Venite, & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram.

Secreta.

Sanctifica, quæſumus, Domine munus oblatum, quod in nobis ſanctificationem clementer operetur: ut, ſicut in mirifica beati Lazari ſuſcitatione Te verum Deum, & hominem confitemur; ita per illum benedictio tua ſuper nos copioſa deſcendat: ut a noſtris liberemur delictis, tuæque ſumamus indulgentiæ largitatem. Qui vivis & regnas.

Communio. Joan. 11.

Multi ex Judæis, qui venerant ad Mariam & Martham, & viderant, quæ fecerat Jeſus, crediderunt in eum.

Poſtcommunio.

Sumta, quæſumus, Domine ſacramenta cœleſtia a ſepulchris vitiorum nos erigant; & beati Lazari meritis a languore corporis & animæ cuſtodiant: Tuæque propitiationis continuum præſtent auxilium, ut noſtræ petitionis effectum feliciter conſequamur. Per Dominum.

Infra Oct. SS. Angelorum dic. 2. Orat. de SS. Angelis, & Credo.

Die VI. Septembris.

IN FESTO.

Sancti Albini Epiſcopi Conf.

Miſſa: Statuit ei, De communi Confeſſoris Pontif. præter Orationes hic ſequentes.

Oratio.

Deus, qui animam beati Famuli tui Albini Confeſſoris, atque Pontificis per ſan-

ctos Angelos tuos ad te perduxisti; præsta, quæsumus: ut ejus meritis & precibus animas nostras ad te, qui vere Paradisus es, clementer suscipere digneris. Per Dominum.

Evangel. Homo quidam nobilis, ut in hoc proprio pag. 12. in Festo S. Caroli Magni Imp. XII. Februarii.

Secreta.

Suscipe, quæsumus, Domine, hanc oblationem, quam tibi ad laudem, & honorem sancti Albini Confessoris tui atque Pontificis offerimus: ut, qui tibi placuit in terris, ejus precibus adjuvemur in Cœlis. Per Dominum.

Postcommunio.

Sumpsimus Domine Sacramenta cœlestia; præsta, quæsumus: ut beati Albini Confessoris tui atque Pontificis precibus & meritis adjuvemur, cujus hodie festivitate lætamur. Per Dominum.

Die XIII. Septembris.

Infra Octavam Nativitatis B. M. V.

pro commemoratione

S. Materni Episc. & Confess.

Oratio.

Deus, qui beatum Maternum Confessorem tuum atque Pontificem per merita beati Petri Apostoli tui quadragesima die à morte resuscitâsti, & eundem per annos quadraginta Pontificali infula laudabiliter decorasti; concede nobis, quæsumus: ut, quem tot miraculis in terra coruscare videmus, ejus apud tuam misericordiam precibus adjuvemur. Per Dom.

Secreta.

Hæc Hostia Domine, quæsumus, intercedente beato Materno Pontifice nos ab omnibus mundet peccatis, & tota virtute tuis faciat inhærere mandatis. Per Dominum.

Postcommunio.

Præsta quæsumus, omnipotens Deus: ut beati Materni Pontificis tui nos semper adjuvet oratio, & tua semper custodiat protectio. Per Dominum.

Die XVII. Septembris.

In festo Impress. SS. Stigmatum,

pro commemoratione

Sancti Lamberti Episc. & Mart.

Oratio.

Deus, qui hujus diei venerandam solemnitatem in beati Lamberti Martyris tui atque Pontificis transitu decorâsti; adesto familiæ tuæ precibus: & da, ut, cujus hodie festa celebramus, ejus meritis & intercessionibus adjuvemur. Per Dom.

Secreta.

Præsentia munera, quæsumus, Domine ita serena puritate intuere, ut Sancti Spiritus perfundantur benedictione, & in nostris cordibus eam dilectionem validiùs infundant, per quam sanctus Martyr Lambertus omnia corporis tormenta devicit. Per Dominum &c. In unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus.

Postcommunio.

Sumpsimus Domine in sancti Lamberti Martyris tui atque Pontificis solemnitate cœlestia Sacramenta; ejus suffragiis, quæsumus, largiaris: ut, quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis consequamur. Per Dominum.

Die XXII. Septembris.

In festo Mauritii & Soc. M. M.

pro commemoratione

Sancti Emmerami Episc. Mart.

Oratio.

Oratio.

Deus, qui beatum Emmeramum Martyrem tuum, atque Pontificem inter vincula liberum, inter tormenta ſecurum, gratiæ tuæ ubertate feciſti; quæſumus clementiam tuam: ut in nobis flammas corporalium paſſionum Miſericordiæ tuæ imbre extinguas, & ignem beatæ charitatis clementer infundas. Per Dom.

Secreta.

Munera noſtra Domine benigno vultu ſuſcipe, & concede: ut beati Emmerami precibus ſalutaria reddantur, pro cujus veneranda paſſione ante conſpectum divinæ Majeſtatis tuæ deferuntur. Per Dom.

Poſtcommunio.

Gratiam tuam, quæſumus, Domine hujus virtute myſterii, intercedente beato Emmeramo Martyre tuo, atque Pontifice cordibus noſtris infunde, & præſta: ut in cujus veneranda depoſitione hæc percepimus, ejus inſtruamur exemplis, muniamur & meritis. Per Dominum.

Die XXIII. Septembris.

IN FESTO

Sancti Victoris Martyris.

Introitus. Pſal. 63.

Lætabitur juſtus in Domino, & ſperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde.

Pſal. ibid. Exaudi Deus orationem meam, cùm deprecor: à timore inimici eripe animam meam.

℣. Gloria Patri.

Oratio.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris: ut, qui ex iniquitate noſtra reos nos eſſe cognoſcimus; beati Victoris Martyris tui interceſſione liberemur. Per Dominum.

Pro commemorat. S. Theclæ V. M.

Oratio.

Da, quæſumus, omnipotens Deus: ut, qui beatæ Theclæ Virginis, & Martyris tuæ natalitia colimus, & annua ſolemnitate lætemur, & tantæ fidei proficiamus Exemplo. Per Dominum.

Lectio Epiſtolæ beati Pauli Apoſtoli ad Timotheum. 2. Tim. 2.

Chariſſime, Memor eſto, Dominum Jeſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis ex ſemine David, ſecundùm Evangelium meum, in quo laboro usque ad vincula, quaſi malè operans: ſed verbum Dei non eſt alligatum. Ideo omnia ſuſtineo propter electos, ut & ipſi ſalutem conſequantur, quæ eſt in Chriſto Jeſu, cum gloria cœleſti. Tu autem aſſecutus es meam doctrinam, inſtitutionem, propoſitum, fidem, longanimatatem, dilectionem, patientiam, perſecutiones, paſſiones, qualia mihi facta ſunt Antiochiæ, Iconii, & Lyſtris: quales perſecutiones ſuſtinui, & ex omnibus eripuit me Dominus. Et omnes, qui piè volunt vivere, in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur.

Graduale. Pſal. 36. Juſtus cùm ceciderit, non collidetur: quia Dominus ſupponit manum ſuam.

℣. Tota die miſeretur, & commodat, & ſemen ejus in benedictione erit. Alleluja, Alleluja.

℣. Joan. 9. Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris; ſed habebit lumen vitæ æternæ. Alleluja.

† Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Matthæum. Matth. 16.

In illo tempore: Dixit Jeſus diſcipulis ſuis: ſi qui vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſe-

& ſequatur me. Qui enim voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam. Qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam. Quid enim prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua? Filius enim hominis venturus eſt in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis: & tunc reddet, unicuique ſecundùm opera ejus.

Offertorium. Pſal. 20. Poſuiſti Domine, in capite ejus coronam de lapide pretioſo: vitam petiit à te, & tribuiſti ei, Allel.

Secreta.

Accepta ſit in conſpectu tuo, Domine, noſtra devotio: & ejus nobis fiat ſupplicatione ſalutaris pro cujus ſolemnitate defertur. Per Dominum:

Pro ſancta Thecla. Secreta.

Suſcipe, Domine, munera, quæ in beatæ Theclæ Virginis, & Martyris tuæ ſolemnitate deferimus: cujus nos confidimus patrocinio liberari. Per Dom.

Communio. Joan. 12. Qui mihi miniſtrat, me ſequatur: & ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit.

Poſtcommunio.

Quæſumus Omnipotens Deus: ut, qui cœleſtia alimenta percepimus, intercedente beato Victore Martyre tuo, per hæc contra omnia adverſa muniamur. Per Dominum.

Pro ſancta Thecla. Poſtcomm.

Auxilientur nobis, Domine, ſumpta miſteria: & intercedente beata Thecla Virgine & Martyre tua ſempiterna faciant protectione gaudere. Per Dominum.

Die XXIV. Septembris.

In Feſto Gaudiorum B. V. Mariæ.

Introitus. Iſai. 61.

Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo; quia induit me veſtimentis ſalutis, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis circumdedit me.

Pſal. 144. Exaltabo te Deus meus rex: et benedicam nomini tuo in ſæculum, et in ſæculum ſæculi. ℣. Gloria Patri.

Oratio.

Deus, qui hodiernæ diei jucunditatem in JESU Chriſti et Mariæ laudibus nos venerari feciſti; præſta, quæſumus: ut, qui ejusdem Matris Gaudiorum memoriam celebramus; à piiſſimi Filii tui et Matris ejus Gratia nunquam excidamus. Per eundum.

Lectio libri Sapientiæ. Prov. 31.

Forditudo, & decor indumentum ejus, & ridebit in die voviſſimo. Os ſuum aperuit ſapientiæ, & lex clementiæ in lingua ejus. Conſideravit ſemitas domus ſuæ, & panem otioſa non comedit. Surrexerunt filii ejus & beatiſſimam prædicaverunt, vir ejus & laudavit eam. Multæ filiæ congregaverunt divitias: tu ſupergreſſa es univerſas.

Graduale. Pſal. 45. Adjuvabit eam Deus vultu ſuo: Deus in medio ejus non commovebitur.

℣. Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: Sanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus. Alleluja, Alleluja.

℣. Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Alleluja.

† Se-

† Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Luc. I.

In illo tempore: Exurgens Maria; abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda: & intravit in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth. Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus: & repleta est Spiritu Sancto Elisabeth: & exclamavit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. Et beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino. Et ait Maria: Magnificat, anima mea, Dominum: & exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo. Credo.

Offertorium. Psal. 44.

Afferentur Regi virgines post eam: proximæ ejus afferentur tibi in lætitia, & exultatione: adducentur in templum Regi Domino.

Secreta.

Tua Domine propitiatione, & beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, ad perpetuam, atque præsentem hæc oblatio nobis proficiat prosperitatem & pacem: ac post hanc vitam nos ad gaudia perducat æterna. Per Dominum.

Præfatio de beata Maria. Et te in Exultatione.

Communio. Psal. 44. Diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.

Postcommunio.

Repleti vitalibus alimoniis, & Divinis reparati mysteriis, supplices te rogamus omnipotens Deus: & beatæ Mariæ semper Virginis, cujus lætabunda celebramus Gaudia, pia interventione, quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Dominum.

Die XXX. Septembris.

Sancti Hieronymi Presbyteri Conf. & Eccles. Doct.

cum Octava Missa ut in Romano.

FESTA OCTOBRIS.

Die I. Octobris.

IN FESTO

Sanctorum Remigii, Germani, & Vedasti, CConfess. PPontif.

Missa: Statuit ei, de communi C. P. Præter Orationes sequentes.

Oratio.

Da, quæsumus, Omnipotens Deus: ut beatorum Remigii, Germani, & Vedasti Confessorum tuorum atque Pontificum veneranda solemnitas, & devotionem nobis augeat, & salutem. Per Dom.

Secreta.

Sancti tui, quæsumus, Domine, nos ubique lætificent: ut dum eorum merita recolimus: patrocinia sentiamus. Per Dom.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus, Omnipotens Deus: ut de perceptis muneribus gratias exhibentes, intercedentibus beatis Remigio, Germano, & Vedasto Confessoribus tuis atque Pontificibus beneficia potiora sumamus. Per Dominum.

Die II. Octobris.

IN FESTO.

Sancti Othonis Episc. & Conf.

Introitus. Eccl. 45.

Statuit ei Dominus testamentum pacis,

 & prin-

& principem fecit eum: ut sit illi sacerdotii dignitas in æternum.

Psal. 131. Memento, Domine, David, & omnis mansuetudinis ejus.

℣. Gloria Patri.

Oratio.

Deus, cujus Virtute beatus Otho Confessor tuus, & Pontifex ad solidandum in fide gentes incredulas rapidi fluminis cursum prece restrinxit; concede propitius: ut, qui in terris Doctor factus est infidelium populorum; pro nobis pius intercessor efficiatur ad te in cœlis. Per Dominum.

Pro commem. Oct. S. Wenceslai M.

Oratio.

Deus, qui beatum Wenceslaum per Martyre palmam à terreno Principatu, ad cœlestem gloriam transtulisti: ejus precibus nos ab omni adversitate custodi, & ejusdem tribue gaudere consortio.

Pro comm. Oct. S. Hieronymi Conf.

Oratio

Deus, qui Ecclesiæ tuæ in exponendis sacris scripturis beatum Hieronymum Confessorem tuum, Doctorem maximum providere dignatus es: præsta, quæsumus; ut ejus suffragantibus meritis, quod ore simul, & opere docuit, te adjuvante exercere valeamus. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiæ. Eccli. 44.

Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & inventus est justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Non est inventus similis illi, qui conservaret legem excelsi. Ideo jure jurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam. Benedictionem omnium gentium dedit illi, & testamentum suum confirmavit super caput ejus. Agnovit eum in benedictionibus suis: conservavit illi misericordiam suam; & invenit gratiam coram oculis Domini. Magnificavit eum in conspectu regum: & dedit illi coronam gloriæ. Statuit illi testamentum æternum: & dedit illi Sacerdotium magnum: & beatificavit illum in gloria. Fungi Sacerdotio, & habere laudem in nomine ipsius, & offerre illi incensum dignum in odorem suavitatis.

Graduale. Eccli. 44. Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo.

℣. Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi. Alleluja, Alleluja.

℣. Psal. 109. Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Allel.

† Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Lucæ 19.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reverti. Vocatis autem decem servis suis dedit eis decem mnas, & ait ad illos: negotiamini, dum venio. Cives autem ejus oderant eum: & miserunt legationem post illum, dicentes: nolumus hunc regnare super nos. Et factum est, ut rediret accepto regno: & jussit vocari servos, quibus dedit pecuniam, ut sciret, quantum quisque negotiatus esset. Venit autem primus, dicens: Domine, mna tua decem mnas acquisivit. Et ait illi: Euge bone serve, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates. Et alter venit, dicens: Domine, ecce mna tua fecit quinque mans. Et huic ait: & tu esto super quinque civitates. Et alter venit, dicens: Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario: timui enim te, quia homo austerus es: tollis, quod non posuisti, & metis, quod non semi-

seminâsti. Dicit ei: De ore tuo te judico, serve nequam. Sciebas, quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui, & metens, quod non seminavi: et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exegissem illam? Et adstantibus dixit: auferte ab illo mnam, et date illi, qui decem mnas habet. Ex dixerunt ei: Domine, habet decem mnas. Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, et abundabit: ab eo autem, qui non habet, et quod habet, auferetur ab eo.

Dicitur. Credo.

Offertorium. Psal. 88. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum.

Secreta.

Hujus oblationis hostiam, quæsumus Domine, per merita sancti Othonis Confessoris tui atque Pontificis sanctifica: ut peccatorum nostrorum maculas, ejus apud te deleant meritorum suffragia. Per Dominum nostrum.

Pro Oct. S. Wenceslai Mart.

Secreta.

Muneribus nostris, quæsumus, Domine, precibusque susceptis: et cœlestibus nos munda mysteriis, et clementer exaudi.

Pro Oct. S. Hieronymi Confess.

Secreta.

Donis cœlestibus, da nobis, quæsumus, Domine libera tibi mente servire: ut munera, quæ deferimus, interveniente beato Hieronymo Confessore tuo, et medelam nobis operentur, et gloriam. Per Dominum.

Communio. Lucæ 12. Fidelis servus, et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam: ut det illis in tempore tritici mensuram.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus, Omnipotens Deus: ut hæc indulta Sacramenti cœlestis Communio beato Othone Confessore tuo atque Pontifice intercedente, nobis proficiat ad prosperitatem & pacem: qui fecit idololatras tuæ fidei cognoscere veritatem. Per Dominum.

Pro Oct. S. Wenceslai Mart.

Postcommunio.

Da quæsumus Domine Deus noster; ut, sicut tuorum commemoratione sanctorum temporali gratulamur officio; ita perpetuo lætemur aspectu.

Pro Oct. S. Hieronymi Conf.

Postcommunio.

Repleti alimonia cœlesti, quæsumus, Domine: ut interveniente beato Hieronymo Confessore tuo, misericordiæ tuæ gratiam consequi mereamur. Per Dom.

Die X. Octobris.

In Festo Sancti Francisci Borgiæ Confess.

pro commemoratione

Sanctorum Gereonis, Victoris, Cassii, Florentii, & Socc. Mart.

Oratio.

Deus, qui nos annua beatorum Martyrum tuorum Gereonis, Victoris, Cassii, atque Florentii, Sociorumque eorum solemnitate lætificas: præsta, quæsumus: ut, quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis. * Per Dominum.

Ad poscenda Suffragia Sanctorum.

Oratio.

A Cunctis nos, quæsumus Domine, mentis & corporis defende periculis: &

intercedente beata & gloriosa semper Virgine Dei Genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro & Paulo, atque beato N. & omnibus Sanctis, salutem nobis tribue benignus & pacem; ut, destructis adversitatibus & erroribus universis, Ecclesia tua secura tibi serviat libertate. Per eundem Domin.

Pro SS. Gereone & Sociis M. M.

Secreta.

Munera Domine, quæ pro martyrum tuorum Gereonis, Victoris, Sociorumque eorum solemnitate deferimus, propitius suscipe; & mala omnia, quæ meremur, eorum intercessione averte. * Per Dominum.

Ad poscenda Suffragia Sanctorum.

Secreta.

Exaudi nos, Deus salutaris noster: ut per hujus Sacramenti virtutem à cunctis nos mentis, & corporis hostibus tuearis; gratiam tribuens in præsenti, & gloriam in futuro. Per Dominum.

Postcomm. pro SS. Gereone etc.

Quæsumus Omnipotens Deus salutaribus repleti mysteriis: ut, quorum solemnia celebramus eorum orationibus adjuvemur. * Per Dominum.

Ad poscenda Suffragia Sanctorum.

Postcommunio.

Mundet, & muniat nos, quæsumus, Domine, divini Sacramenti munus oblatum: & intercedente beata Virgine Dei Genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro & Paulo, atque beato N. & omnibus Sanctis; à cunctis nos reddat & perversitatibus expiatos, et adversitatibus expeditos. Per eumdem Dom.

Die XV. Octobris.

IN FESTO

Sanctæ Hedwigis Ducis Viduæ.

cum Octava.

Missa: Cognovi, de communi nec Virginis nec Martyris, præter orationes sequentes.

Oratio.

Deus, qui beatam Hedwigem à sæculi pompa ad humilem tuæ crucis sequelam toto corde transire docuisti: concede, ut ejus meritis, et exemplo discamus perituras mundi calcare delicias, et in amplexu tuæ crucis omnia nobis adversantia superare. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in Unitate.

Secreta.

Vultu, Domine, placido nos respice, ea, quæ de manu tua recepimus, offerentes: et quod in nobis tibi displicet, intercedente beata Hedwige, gratia tuæ benignitatis absterge. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum.

Postcommunio.

Sumpta, quæsumus Ompipotens Deus, hostia salutaris, ab adversis nos omnibus tueatur incursibus: & post hujus labores exilii, beatæ Hedwigis intervenientibus meritis, ducat ad requiem opulentam. Per Dom.

Die XVI. Octobris.

In Festo S. Theresiæ Virginis.

(in Romano fuit heri.)

1. Commem. Oct. S. Hedwigis ùt supra.

2. Sancti Galli Abbatis.

Oratio.

Deus, qui nos beati Galli Abbatis Con-

Confessoris tui annua solemnitate lætificas: concede propitius; ut, cujus natalitia colimus, ejus actiones imitemur. Per Dominum.

Secreta.

Hostias Domine, quas Nomini tuo sanctissimo consecrandos offerimus, sancti Galli Confessoris tui prosequatur oratio: per quam nos expiari tribuis & defendi. Per Dominum.

Postcommunio.

Repleti, Domine, benedictione cœlesti, quæsumus clementiam tuam: ut intercedente beato Gallo Confessore tuo, quæ humiliter gerimus, salubriter nobis prodesse sentiamus. Per Dominum.

Die XXI. Octobris.

IN FESTO

Sanctæ Ursulæ & Sociarum Virginum & Martyrum.

Introitus. Eccli. 33.

In multitudine sapientiæ suæ separavit me Dominus, & immutavit viam meam: Benedixit mihi, & me ad se applicavit.

Psal. 118. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. ℣. Glo. Patri.

Oratio.

Da nobis, quæsumus, Domine Deus noster sanctarum Virginum, & Martyrum tuarum Ursulæ, & sociarum ejus, palmas incessabili devotione venerari: ut, quas digna mente non possumus celebrare, humilibus saltem frequentemus obsequiis. Per Dom.

Pro commem. Oct. S. Hedwigis.

Oratio.

Deus, qui beatam Hedwigem à sæculi pompa ad humilem tuæ crucis sequelam toto corde transire docuisti: concede, ut ejus meritis, & exemplo discamus perituras mundi calcare delicias, & in amplexu tuæ crucis omnia nobis adversantia superare.

Pro commem. S. Hilarionis Abbatis.

Oratio.

Intercessio nos, quæsumus, Domine, beati Hilarionis Abbatis commendet: ut, quod nostris meritis non valemus, ejus patrocinio assequamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Corinthios. 1. Cor. 7.

Fratres, de Virginibus præceptum Domini non habeo: consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Domino, ut sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. Alligatus es Uxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab Uxore? noli quærere Uxorem. Si autem acceperis uxorem, non peccasti. Et si nupserit Virgo, non peccavit. Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaque dico, Fratres: Tempus breve est: reliquum est, ut & qui habent uxores, tanquam non habentes sint: & qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non possidentes: & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi. Volo autem vos sine solicitudine esse. Qui sine uxore est, solicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est. Et mulier inupta, & virgo cogitat, quæ Domini

sunt, ut sit sancta corpore, & spiritu: In Christo Jesu Domino nostro.

Graduale. Ps. 149. Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.

℣. Cantate Domino canticum novum: Laus ejus in Ecclesia Sanctorum. Alleluja, Alleluja.

℣. Adducentur Regi virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi in lætitia. Alleluja.

† Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum. Matth. 25.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: simile erit regnum cœlorum decem virginibus: quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso, & sponsæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes: sed quinque fatuæ acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum: prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes, & dormierunt. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornaverunt lampades suas. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro: quia lampades nostræ extinguuntur. Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis. Dum autem irent emere, venit sponsus: & quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua. Novissime vero veniunt, et reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens, ait: Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque. quia nescitis diem, neque horam.

Offertorium. Psal. 44. Afferentur Regi Virgines post eam: proximæ ejus afferentur tibi in lætitia, et exultatione: adducentur in templum Regi Domino.

Secreta.

Intende, quæsumus, Domine, munera altaribus tuis pro sanctarum virginum, et martyrum tuarum Ursulæ, et Sociarum ejus, festivitate proposita: ut, sicut per hæc beata mysteria illis gloriam contulisti; ita nobis indulgentiam largiaris. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Pro S. Hedwige. Secreta.

Vultu, Domine, placido nos respice, ea, quæ de manu tua recepimus, offerentes: et, quod in nobis tibi displicet, intercedente beata Hedwige, gratia tuæ benignitatis absterge.

Pro S. Hilarione Abb. Secreta.

Sacris altaribus, Domine, hostias superpositas sanctus Hilarion Abbas, quæsumus, in salutem nobis provenire deposcat. Per Dom.

Communio. Matth. 25. Quinque prudentes Virgines, acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus: media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam Christo Domino.

Postcommunio.

Præsta nobis, quæsumus, Domine, intercedentibus sanctis Virginibus, et martyribus tuis: ut, quod ore contingimus pura mente capiamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum.

Pro S. Hedwige. Postcommunio.

Sumpta, quæsumus Omnipotens Deus, hostia salutaris, ab adversis nos omnibus tueatur incursibus: & post hujus labores

exilii,

exilii, beatæ Hedwigis intercedentibus meritis, ducat ad requiem opulentam.

Pro S. Hilarione Abb. Postcomm.

Protegat nos, Domine, cum tui perceptione Sacramenti beatus Hilarion Abbas, pro nobis intercedendo: ut & conversationis ejus experiamur insignia, & intercessionis percipiamus suffragia. Per Dominum nostrum.

Die XXII. Octobris.

In Octava S. Hedwigis Viduæ,

Pro commem. S. Severi Episc. Conf.

Oratio.

Deus qui hodiernam diem sacratissimam nobis in beati Severi Confessoris tui atque Pontificis solemnitate tribuisti: adesto propitius Ecclesiæ tuæ precibus; ut, cujus gloriamur meritis, muniamur & suffragiis. Per Dominum.

Secreta.

Sacrificium tibi Domine laudis offerimus pro sancti Confessoris tui Severi veneratione: ut propitiationem tuam, quam nostris operibus non meremur, pii Suffragatoris intercessionibus assequamur. Per Dom.

Postcommunio.

Tua sancta sumentes quæsumus Domine Deus noster: ut beati Severi Confessoris tui atque Pontificis nos foveant continuata præsidia. Per Dominum.

Die XXIII. Octobris.

Sancti Severini Episc. & Conf.

Missa: Sacerdotes tui, de communi Confessoris Pontificis præter orationes sequentes.

Oratio.

Misericordiam tuam nobis Domine, quæsumus, interveniente beato Severino Confessore tuo, atque Pontifice clementer impende; & nobis peccatoribus ipsius propitiare Suffragiis. Per Domin.

Lectio: Ecce Sacerdos. Evang. Homo quidam nobilis ut in hoc proprio pag. 38.

Secreta.

Sancti Confessoris tui atque Pontificis Severini quæsumus Domine, veneranda solemnitas tuæ pietati Sacrificium nostrum reddat acceptum: ut per hanc Hostiam salutarem, & veniam consequamur, & gratiam. Per Dominum.

Postcommunio.

Beati Severini Confessoris tui atque Pontificis Domine precibus confidentes, quæsumus clementiam tuam: ut per ea, quæ sumpsimus, æterna remedia capiamus. Per Dominum.

Die XXV. Octobris.

IN FESTO

SS. Crispini & Crispiniani Mart.

Oratio.

Magnificet te Domine Sanctorum Martyrum tuorum Crispini, & Crispiniani sancta solemnitas: quâ & illis gloriam sempiternam, & opem nobis ineffabili providentia contulisti. Per Dominum.

Pro commem. SS. Chrysanthi & Dariæ Martyrum.

Oratio.

Beatorum martyrum tuorum Domine, Chrysanthi & Dariæ, quæsumus, adsit nobis oratio: ut, quos veneramur obsequio, eorum pium jugiter experiamur auxilium. Per Dominum nostrum.

Secreta.

Pro sanctorum Crispini & Crispiniani commemoratione, munera tibi, Domine,

L 2 quæ

quæ debemus, exſolvimus; præſta, quæſumus: ut remedium nobis perpetuæ ſalutis operentur. Per Dominum.

Pro SS. Chryſantho & Daria MM.

Secreta.

Populi tui, quæſumus Domine, tibi grata ſit hoſtia: quæ in natalitiis ſanctorum martyrum tuorum Chryſanthi & Dariæ ſolemniter immolatur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum.

Poſtcommunio.

Tantis, Domine, repleti muneribus, præſta, quæſumus: ut intervenientibus ſanctis Martyribus Criſpino & Criſpiniano, ſalutaria dona capiamus & à tua laude nunquam ceſſemus.

Pro SS. Chryſantho & Daria MM.

Poſtcommunio.

Myſticis, Domine, repleti ſumus votis & gaudiis, præſta, quæſumus, ut interceſſionibus ſanctorum martyrum tuorum Chryſanthi & Dariæ, quæ temporaliter agimus, ſpiritualiter conſequamur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum: Qui tecum vivit & regnat.

Die XXVI. Octobris.

IN FESTO

Commemorationis B. M. V.

Introitus. Sap. 4. 1.

Quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate: immortalis eſt enim memoria illius, quoniam apud Deum nota eſt, & apud homines.

Pſ. 8. Domine Dominus noſter: quam admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra. ℣. Gloria Patri.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui glorioſiſſimæ Virginis Mariæ corpus & animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante præparaſti: da, ut cujus Commemoratione lætamur, ejus pia interceſſione ab inſtantibus malis, & à morte perpetua liberemur. Per eundem Dominum. In unitate ejusdem.

Pro commem. S. Evariſti P. M.

Oratio.

Infirmitatem noſtram reſpice Omnipotens Deus: & quia pondus propriæ actionis gravat, beati Evariſti martyris tui, atque Pontificis interceſſio glorioſa nos protegat. Per Domin.

Lectio libri Sapientiæ. Eccli. 24.

Ego quaſi vitis fructificavi ſuavitatem odoris: & flores mei fructus honoris & honeſtatis. Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei. In me omnis gratia viæ & veritatis; in me omnis ſpes vitæ, & virtutis. Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & a generationibus meis adimplemini: Spiritus enim meus, ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & favum: memoria mea in generationes ſæculorum. Qui edunt me, adhuc eſurient: Et qui bibunt me, adhuc ſitient. Qui audiunt me, non confundentur: & qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

Graduale. Benedicta, & Venerabilis es, Virgo Maria: quæ ſine tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris.

℣. Virgo Dei Genitrix, quem totus non capit orbis, in tua ſe clauſit viſcera factus homo. Alleluja, Alleluja.

℣. Poſt

℣. Post partum Virgo inviolata permansisti: Dei Genitrix, intercede pro nobis, Alleluja.

† Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Luc. 11.

In illo tempore: Loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit; & ubera, quæ suxisti. At ille dixit: Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud. Credo.

Offertorium. Luc. 1. Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

Secreta.

Tua, Domine, propitiatione, & beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, ad perpetuam, atque præsentem hæc oblatio nobis proficiat prosperitatem, & pacem. Per Dominum nostrum.

Pro S. Evaristo Papa Martyre.

Secreta.

Hostias tibi, Domine, beati Evaristi martyris tui, atque Pontificis dicatas meritis benignus assume: & ad perpetuum nobis tribue provenire subsidium. Per Dominum.

Præfat. de B. M. V. Et te in Commem.

Communio. Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium.

Postcommunio.

Sumptis, Domine, salutis nostræ subsidiis: da, quæsumus, beatæ Mariæ semper Virginis patrociniis nos ubique protegi, in cujus Commemoratione hæc tuæ obtulimus Majestati. Per Dominum.

Pro. S. Evaristo Pp. M. Postcommunio.

Refecti participatione muneris sacri, quæsumus, Domine Deus noster: ut cujus exequimur cultum, intercedente beato Evaristo martyre tuo atque Pontifice, sentiamus effectum. Per Dominum nostrum.

Die XXX. Octobris.

IN FESTO

S. Theodoriti Presbyt. Mart.

Missa: Lætabitur justus, de communi unius martyris non Pontif. præter orationes sequentes.

Oratio

Deus, qui beatum Theotoritum regali sacerdotio decoratum in sancta Antiochena Ecclesia pro tua fide Catholica intrepidum permanere fecisti, quem & in ipsa gladii martyrio coronasti; da nobis, quæsumus: ut, cujus Natalitia colimus, ipsius orationibus ab omnibus animæ & corporis protegamur adversis. Per Dominum nostrum.

Evangelium: Si quis venit, ex Missa: Statuit ei, unius Mart. Pontif.

Secreta.

Suscipe, quæsumus, Domine munera dignanter oblata, & sacerdotis tui Theodoriti martyrio gladii coronati suffragantibus meritis, ad nostræ salutis auxilium provenire concede. Per Dominum.

Postcommunio.

Quæsumus, omnipotens Deus: ut, qui cœlestia alimenta percepimus; intercedente beato Theodorito martyre & sacerdote tuo, per hæc contra omnia adversa, tua protectione muniamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum.

FESTUM PATROCINII

B. Virginis Mariæ.

Celebratur in Diœcesi Misnensi Dominica 1. post Calendas Novembris; si prædicta Dominica fuerit impedita ab octava omn. SS. vel

festo altioris ritus, illo anno transfertur in 1. diem non impeditam.

Missa: Salve sancta Parens, ùt in Missis votivis beatæ MARIÆ Virginis à Pentecoste usque ad Adventum, cum Gloria in excelsis. Credo. & commem. Dominicæ occurrentis, de qua legitur Evang. in fine Missæ.

Præfatio de sancta Maria. Et te in festivitate.

FESTA NOVEMBRIS.

Die VI. Novembris.

IN FESTO.

Sancti Leonardi Abbatis.

Missa: Os justi, ùt in communi Abbatum, præter orationes sequentes.

Oratio.

Majestati tuæ, quæsumus Domine, sancti Confessoris tui Leonardi nos pia jugiter commendet Oratio: ut, quem devoto veneramur Officio; ipsius suffragio sublevemur optato. Per Dominum.

Deinde fit commem. Omnium Sctor.

Secreta.

Suscipe Domine sacrificium placationis, & laudis: quod nos famulos tuos intercedente B. Leonardo Confessore tuo, & perducat ad veniam, & remedia conferat nobis sempiterna. Per Domin.

2. Secreta de Omnibus Sanctis.

Postcommunio.

Gratiam tuam Domine imploramus: ut, qui cœlesti nos medela reparare dignatus es; des peccatis nostris veniam; sicut beato Leonardo Confessori tuo dedisti vitam perpetuam. Per Domin.

2. Postcommunio de omnibus Sanctis.

Die VII. Novembris.

Infra Octavam Omnium Sanctorum pro commemoratione

Sancti Willebrordi Episc. Conf.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui es sanctorum tuorum splendor mirabilis, quique hodierna die beatum Willebrordum Confessorem tuum, atque Pontificem æternæ beatitudinis gloria sublimasti; concede propitius: ut, qui ejus merita veneramur in terris; intercessionis ejus auxilio apud tuam Misericordiam muniamur in cœlis. Per Dominum nostrum.

Secreta.

Propitiare, quæsumus Domine, supplicationibus nostris, & interveniente pro nobis sancto Willebrordo Confessore tuo atque Pontifice, his sacrificiis cœlestibus servientes, ab omni malo liberos esse concede: ut purificante nos gratia tua, hisce, quibus famulamur, mysteriis emundemur. Per Deminum nostrum.

Postcommunio.

Sancti tui Domine Confessoris atque Pontificis Willebrordi tribue nos supplicatione foveri: ut, cujus depositionem annuo celebramus obsequio, ejus apud te intercessionibus & meritis commendemur. Per Dominum nostrum.

Die XI. Novembris.

IN FESTO

Sancti Martini Episc. & Confess.

cum Octava. Missa ùt in Romano.

Die XII. Novembris.

IN FESTO

Sancti Livini Episc. & Martyris.

Missa: In Virtute. ùt in communi unius Martyris non Pontif.

Oratio.

Dextera tua, quæsumus, nos Domine, graviter corruentes erigat, & intercessione beati Livini martyris tui atque Pontificis,

cis, à peccatorum vinculis, quibus ſtringimur, eruat: & ab hoſtium laqueis, quibus tenemur potenter eripiat. Per Dominum noſtrum.

Pro commem. Oct. S. Martini Epiſc. C.

Oratio.

Deus. qui conſpicis, quia ex nulla noſtra virtute ſubſiſtimus: concede propitius; ut interceſſione beati Martini Confeſſoris tui, atque Pontificis, contra omnia adverſa muniamur. Per Domin.

Evangel. Si quis vult, ex II. Miſſa unius Martyris Pontificis.

Secreta.

Præſta, quæſumus, omnipotens Deus: ut ſancti Livini Martyris tui atque Pontificis precibus piæ devotionis nobis fructus accreſcat, quem ad laudem Nominis tui dicatis muneribus honoramus. Per Dom.

Pro Oct. S. Martini Epiſc.

Secreta.

Da, miſericors Deus: ut hæc nos ſalutaris oblatio & à propriis reatibus indeſinenter expediat, & ab omnibus tueatur adverſis. Per Dominum.

Poſtcommunio.

Omnipotens & miſericors Deus, qui nos Sacramentorum tuorum, & participes efficis, & miniſtros; præſta, quæſumus: ut intercende beato Livino Martyre tuo atque Pontifice, ejusdem proficiamus, & fidei conſortio, & digno ſervitio. Per Dominum.

Pro S. Martino Ep. C. Poſtcommun.

Præſta, quæſumus, Domine Deus noſter: ut, quorum feſtivitate votiva ſunt Sacramenta, eorum interceſſione ſalutaria nobis reddantur. Per Domin.

Die XIII. Novembris.

In Feſto Sancti Didaci Confeſſ.

1. Commem. Oct. S. Martini Ep. C. Oratio Deus, qui conſpicis etc. ut ſupra in hac pag.

Pro 2. Comm. S. Brictii Epiſc. & Conf.

Oratio.

Moveat pietatem tuam, quæſumus, Domine, ſubjectæ tibi plebis affectus, & miſericordiam tuam ſupplicatio fidelis obtineat: ut, quod meritis non præſumit, per interceſſionem ſancti Brictii Confeſſoris tui atque Pontificis indulgentiæ tuæ largitate percipiat. Per Domin.

Secreta.

Has oblationes, Domine Deus noſter: quas Majeſtati tuæ conſecrandas offerimus, benignus aſſume: & intercedente beato Brictio Confeſſore tuo atque Pontifice, ad ſalutem noſtram provenire concede. Per Dominum.

Poſtcommunio.

Sacramentorum cœleſtium participes effecti, clementiam tuam Domine deprecamur: ut per interceſſionem ſancti Brictii Confeſſoris tui, atque Pontificis, cujus ſolemnia celebramus, ad præſentis & æternæ vitæ ſolatia nobis proficiant. Per Dominum noſtrum.

Die XV. Novembris.

In Commemoratione Paſſionis Domini N. I. C.

Introitus. Eccli. 39.

Non recedet memoria ejus, & nomen ejus requiretur a generatione in generationem.

Pſal. 66. Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis: illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.

℣. Gloria Patri.

 Oratio.

Oratio.

Deus, qui per Unigenitum tuum passum & humiliatum usque ad mortem, antiqui hostis contrivisti superbiam: da fidelibus tuis, & quæ ipse propter nos pertulit, digne recolere, & adversa omnia ejus exemplo patienter tolerare. Qui tecum vivit.

Commem. Oct. S. Martini ut supra pag. 47.

Lectio Isaiæ Prophetæ. c. 53.

In diebus illis: Vidimus eum despectum, & novissimum virorum: virum dolorum, & scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus ejus, & despectus: unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit: & nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum: ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras; attritus est propter scelera nostra. Sicut ovis ad occisionem ducetur, & non aperiet os suum. Et ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit, ut non perirent, Jesus Christus, Dominus noster.

Graduale. Ps. 21. Omnes videntes me, deriserunt me, & moverunt capita sua.

℣. Psal. ibid. Et diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Alleluja, Alleluja.

℣. Joan. 19. Unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua. Alleluja.

† Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. Joan. c. 19.

In illo tempore: Apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus: Et veste purpurea circumdederunt eum. Et veniebant ad eum, & dicebant: Ave rex Judæorum: & dabant ei alapas. Exivit ergo iterum Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis, quia nullam invenio in eo causam. Exivit ergo Jesus portans coronam spineam, & purpureum vestimentum. Credo.

Offertorium.

Percutiebant caput ejus arundine, & conspuebant in faciem ejus, et flectentes genua adoraverunt eum.

Secreta.

Auxilientur nobis Domine Jesu Christe omnes Passiones tuæ, quibus hostia placabilis Patri tuo pro nobis factus es; et concede, ut hæ ipsæ sint virtus nostra, qua muniamur, protegamur, et defendamur ab omnibus corporis et animæ malis. Qui vivis.

Com. Oct. Præfat. de Cruce.

Communio. Ps. 21. Foderunt manus meas, et pedes meos, et dinumeraverunt omnia ossa mea.

Postcommunio.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi! Qui propter nimiam charitatem tuam, qua nos dilexisti, ex præcepto Patris in patibulo Crucis nos redimere dignatus es. Tibi pro hoc tuo Redemtionis nostræ opere gratias agimus, humiliter exorantes: ut hanc pretiosissimam Passionem tuam digne semper in memoria retinentes, fructum ex eadem nobis reportare valeamus. Da vivis veniam, defunctis requiem, Ecclesiæ tuæ pacem et concordiam, et nobis peccatoribus vitam sempiternam. Qui vivis.

Die XVI. Novembris.

In Festo S. Gertrudis Virginis & Abbatissæ, Ordinis S. Benedicti.

(in Romano fuit heri.)

Missa:

Missa: Dilexisti, ut in communi Virginum tantum.

Oratio.

Deus, qui in corde beatæ Gertrudis Virginis jucundam tibi mansionem præparasti, ipsius meritis, et intercessione, cordis nostri maculas clementer abstergе, et ejusdem tribue gaudere consortio. Per Dominum.

Reliqua omnia ex citata Missa.

Eodem die

Pro Commemoratione S. Othmari Abbatis.

Oratio.

Beati Othmari Confessoris tui supplicatione, quæsumus, Domine plebs tua benedictionem tuam percipiat; ut de ejus meritis et felicitate glorietur, et æternæ societatis lætitia gratuletur. Per Domin.

Secreta.

Oblatis Domine in honore beati Othmari Abbatis placare muneribus; et famulis tuis, ipsius interventu cunctorum tribue indulgentiam peccatorum. Per Dominum.

Postcommunio.

Perceptis tui Corporis & Sanguinis Domine Sacramentis, concede nobis supplicante beato Othmaro Abbate ita muniri: ut & temporalibus abundemus commodis, & fulciamur æternis. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus.

Die XXV. Novembris.

IN FESTO.

Sanctæ Catharinæ Virginis & Martyris. cum Octava.

Missa: ut in Romano.

Die XXVI. Novembris.

IN FESTO

Sancti Joannis a Cruce Confess.

(in Romano fuit 24. huj.)

Missa: Os justi, ut in communi Confessoris non Pontificis.

Oratio.

Deus, qui sanctum Joannem Confessorem tuum perfectæ sui abnegationis & Crucis amatorem eximium effecisti: concede, ut ejus imitationi jugiter inhærentes, gloriam assequamur æternam. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Pro commem. Oct. S. Catharinæ V. M.

Oratio.

Deus, qui dedisti legem Moysi in summitate montis Sinai, & in eodem loco per sanctos Angelos tuos corpus beatæ Catharinæ Virginis & Martyris tuæ mirabiliter collocasti: præsta, quæsumus; ut ejus meritis, & intercessione ad montem, qui Christus est, pervenire valeamus.

Pro comm. S. Conradi Episc. Conf.

Oratio.

Deus, qui beatum Conradum Confessorem tuum atque Pontificem sanguinis generositate præclarum, vitæ sanctitate & miraculorum vigore clariorem fecisti; concede: ut ejus virtutum meritis, de ejus beneficiis gloriemur; & à te, quod nostræ fragilitati suffragatur, obtinere mereamur.

Pro comm. S. Petri Alexandrini Episcopi & Martyris.

Oratio.

Infirmitatem nostram respice, omnipotens Deus: & quia pondus propriæ actionis gravat, beati Petri martyris tui atque

que Pontificis intercessio gloriosa nos protegat. Per Dominum.

Secreta.

Laudis tibi, Domine, hostias immolamus, in tuorum commemoratione Sanctorum: quibus nos & præsentibus exui malis confidimus, & futuris. Per Dominum nostrum.

Pro commem. Octavæ. Secreta.

Suscipe Domine munera, quæ in beatæ Catharinæ Virginis & Martyris tuæ solemnitate deferimus: cujus nos confidimus patrocinio liberari.

Pro Sancto Conrado EP. Secreta.

Suscipe Domine Sacrificium placationis, & laudis; quod nos famulos tuos interveniente beato Conrado Confessore tuo atque Pontifice, & perducat ad veniam, & remedia nobis conferat sempiterna.

Pro S. Petro Alex. M. Secreta.

Hostias tibi, Domine, beati Petri martyris tui, atque Pontificis dicatas meritis, benignus assume: & ad perpetuum nobis tribue provenire Subsidium. Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

Refecti cibo, potuque cœlesti, Deus noster, te supplices exoramus: ut, in cujus hæc commemoratione percepimus, ejus muniamur & precibus. Per Domin.

Pro Oct. S. Catharinæ Postcomm.

Auxilientur nobis Domine, sumpta mysteria: & intercedente beata Catharina Virgine & martyre tua sempiterna faciant protectione gaudere.

Pro S. Conrado Ep. Postcommun.

Gratiam tuam Domine imploramus: ut, qui cœlesti nos medela reparare dignatus es, des peccatis nostris veniam; sicut beato Conrado Confessori tuo atque Pontifici dedisti vitam perpetuam.

Pro S. Petro Alex. M. Postcomm.

Refecti participatione muneris sacri, quæsumus, Domine Deus noster: ut, cujus exequimur cultum, intercedente beato Petro martyre tuo atque Pontifice sentiamus effectum. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Die XXVII. Novembris.

IN FESTO

Sancti Nicasii Episc. & Martyris.

Missa: Sacerdotes Dei, ut in communi unius martyr. Pontif.

Oratio.

Deus, qui beatum Nicasium Episcopum et martyrem tuum æterni luminis claritate mirabiliter decorasti: da nobis per ipsius suffragia corporalis lucis adminiculo sic sustentari: ut etiam luce gratiæ suffulti, in cœlesti gaudio lumen gloriæ percipere mereamur. Per Domin. nostrum.

Commem. Octavæ S. Catharinæ ut supra pag. 49.

Secreta.

Muneribus nostris, quæsumus, Domine, precibusque susceptis, et intercedente beato Nicasio Episcopo & Martyre tuo, cœlestibus nos munda mysteriis, & clementer exaudi. Per Dominum.

Commem. Octavæ S. Catharinæ pag. 50.

Postcommunio.

Quæsumus Omnipotens Deus: ut, qui cœlestia alimenta percepimus, intercedente

dente beato Nicasio Episcopo & Martyre tuo per hæc contra omnia adversa muniamur. Per Dominum nostrum.

Commem. Octavæ S. Catharinæ.

Die XXIX. Novembris.

Infra Octavam Sanctæ Catharinæ Virginis & Martyris.

Missa: de Virgilia Sancti Andreæ Apostoli, cum commem. Octavæ & Sanctorum Saturnini & Mauri Mart.

Oratio.

Deus, qui nos beatorum Saturnini & Mauri Martyrum tuorum concedis natalitio perfrui; eorum nos tribue meritis adjuvari. Per Dominum.

Secreta.

Munera, Domine, tibi dicata sanctifica: & intercedentibus sanctis martyribus tuis Saturnino & Mauro, per hæc eadem nos placatus intende. Per Dominum.

Postcommunio.

Sanctificet nos, quæsumus, Domine, tui perceptio Sacramenti: & intercessione Sanctorum tuorum tibi reddat acceptos. Per Dominum.

Die XXX. Novembris.

In Festo Sancti Andreæ Apostoli, cum Octava.

FESTA DECEMBRIS.

Die IV. Decembris.

IN FESTO

Sanctæ Barbaræ Virginis & Martyris. cum Octav.

Missa: Loquebar. ut in communi virginis & martyris.

Oratio.

Cordibus nostris, quæsumus, Domine, rorem tuæ benedictionis, meritis & intercessione beatæ Barbaræ Virginis & Martyris tuæ benignus infunde: ut, qui ejus imploramus auxilium, celerem tuæ propitiationis sentiamus effectum. Per Dominum.

Die VIII. Decembris.

IN CONCEPTIONE

Beatæ MARIÆ Virginis.

Dupl. 1. Classis cum Octava.

Missa habetur in Romano prop.

Die IX. Decembris.

IN FESTO

Sancti Petri Chrysologi Episcopi Confessoris & Doctoris.

(in Romano fuit 4. huj.)

Missa: In medio Ecclesiæ, ut in communi Doctorum.

Oratio.

Deus, qui beatum Petrum Chrysologum Doctorem egregium, divinitus præmonstratum ad regendam & instruendam Ecclesiam tuam eligi voluisti: præsta, quæsumus, ut quem Doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Pro commem. Oct. Conception B. M. V.

Oratio.

Famulis tuis, quæsumus Domine, cœlestis gratiæ munus impertire: ut quibus beatæ Virginis partus extitit salutis exordium, Conceptionis ejus votiva solemnitas, pacis tribuat incrementum.

Pro commem. Oct. S. Barbaræ V. M.

Oratio.

Cordibus nostris, quæsumus, Domine rorem tuæ benedictionis, meritis & intercessione, beatæ Barbaræ Virginis & martyris tuæ benignus infunde: ut, qui ejus imploramus auxilium, celerem tuæ propitiationis sentiamus effectum.

Deinde fit commem. de Adventu.

Secreta.

Sancti tui Petri Chrysologi nobis, Domine, pia non desit oratio: quæ & munera nostra conciliet, & tuam nobis indulgentiam semper obtineat. Per Dominum nostrum.

Pro Oct. Conception. Secreta.

Unigeniti tui, Domine, nobis succurrat humanitas: ut, qui natus de Virgine, matris integritatem non minuit, sed sacravit; in Conceptionis ejus solemniis, nostris nos piaculis exuens, oblationem nostram tibi faciat acceptam Jesus Christus Dominus noster.

Pro Oct. S. Barbaræ.

Secreta.

Suscipe Domine munera, quæ in beatæ Barbaræ Virginis & martyris tuæ solemnitate deferimus, cujus nos confidimus patrocinio liberari.

Deinde de Adventu.

Postcommunio.

Ut nobis, Domine, tua sacrificia dent salutem: beatus Petrus Chrysologus Confessor tuus & Doctor egregius, precator accedat. Per Dominum.

Pro Oct. Conception.

Postcommunio.

Sumpsimus, Domine, celebritatis annuæ votiva Sacramenta: præsta, quæsumus, ut temporalis vitæ nobis remedia præbeant & æternæ.

Pro S. Barbara. Postcommunio.

Auxilientur nobis, Domine, sumpta mysteria: & intercedente beata Barbara Virgine & martyre tua, sempiterna faciant protectione gaudere.

Deinde de Adventu.

Die XVI. Decembris.

IN FESTO

Sancti Eusebii Episc. & Mart.

Missa: Sacerdotes Dei, ut in communi unius Martyris Pontificis. fol.

2. Or. de Adventu.

3. Deus, qui de Beatæ. fol. 1. quæ terminatur in omnibus tribus collectis: Per eundem Dominum nostrum.

Die XVIII. Decembris.

IN FESTO

Expectationis Beatæ MARIÆ Virginis.

Missa: Rorate cœli, ex votiva beatæ Mariæ ab Adventu usque ad Nativitatem Domini, cum omnibus suis collectis, aliisque ibi propriis, præter solum ultimum versum in Graduali post Alleluja, Alleluja, cujus loco dicitur sequens:

℣. Lucæ 1. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium Jesum Christum. Alleluja.

Missa

DE COMMEMORATIONE

Immaculatæ Conceptionis B. MARIÆ Virginis.

Dicenda in omnibus extra Italiam Regnis & Dominiis S. C. M. Singulis anni Sabbatis, Officio IX. Lectionum, etiam translato, aut Dominicæ anticipatæ non impeditis, & extra Adven-

Adventus, quadragesimæ, & quatuor temporum, ac Vigiliarum ferias.

More Romano.

Missa ut in Festo Conceptionis B. M. V. die 8. Decembris præter orationes hic positas.

Oratio.

Famulis tuis, quæsumus Domine, cœlestis gratiæ munus impertire: ut quibus beatæ Virginis partus extitit salutis exordium, pia Conceptionis ejus Commemoratio, pacis tribuat incrementum. Per Dominum.

Secreta.

Unigeniti tui, Domine nobis succurrat humanitas: ut, qui natus de Virgine Matris integritatem non minuit, sed sacravit; in devota Conceptionis ejus Commemoratione, nostris nos piaculis exuens, oblationem nostram tibi faciat acceptam Jesus Christus Dominus noster. Qui tecum vivit.

Postcommunio.

Sumptis, Domine salutis nostræ subsidiis: da, quæsumus, beatæ Mariæ semper Virginis patrociniis nos ubique protegi; in cujus Veneratione hæc tuæ obtulimus Majestati. Per Dominum.

More Misnensi

Missa: Salve sancta Parens, ex Missis votivis de B. M. V. tempori occurrenti conveniens, præter orationem sequentem:

Oratio.

Deus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparasti: quæsumus, ut, qui ex morte ejusdem Filii tui prævisa, eam ab omni labe præservasti, nos quoque mundos ejus intercessione ad te pervenire concedas. Per eumdem Dominum.

Evang. Loquente Jesu.

De Spiritu Sancto. Oratio.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere. * Per Dominum nostrum etc. in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus.

Si occurrat. festum simplex, fit de eo commem. secundo loco; & tertia oratio erit de S. Spiritu.

Contra persecutores Ecclesiæ.

Oratio.

Ecclesiæ tuæ, quæsumus, Domine, preces placatus admitte: ut, destructis adversitatibus, & erroribus universis, secura tibi serviat libertate.

Vel pro Papa. Oratio.

Deus, omnium fidelium pastor, & rector, famulum tuum N. quem pastorem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, propitius respice: da ei, quæsumus, verbo, & exemplo, quibus præest, proficere; ut ad vitam, una cum grege sibi credito, perveniat sempiternam. Per Dominum.

De Spiritu Sancto. Secreta.

Munera, quæsumus, Domine oblata sanctifica: & corda nostra Sancti Spiritus illustratione emunda. * Per Dominum etc. in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus.

Contra persecutores Ecclesiæ.

Secreta.

Protege nos, Domine, tuis mysteriis servientes: ut divinis rebus inhærentes & corpore tibi famulemur, & mente. Per Dominum.

Vel pro Papa. Secreta.

Oblatis, quæsumus, Domine placare muneribus: & famulum tuum N. quem Pastorem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, assidua protectione guberna. Per Dominum.

De Spiritu Sancto.

Postcommunio.

Sancti Spiritus, Domine, corda nostra mundet infusio: & sui roris intima aspersione fœcundet. * Per Dominum etc. in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus.

Contra persecutores Ecclesiæ.

Postcommunio.

Quæsumus, Domine Deus noster: ut, quos divina tribuis participatione gaudere, humanis non sinas subjacere periculis. Per Dominum.

Vel pro Papa. Postcommunio.

Hæc nos, quæsumus, Domine, divini Sacramenti perceptio protegat: & famulum tuum N. quem pastorem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, una cum commisso sibi grege, salvet semper & muniat. Per Dominum.

Pro prægnante.

Oratio.

Deus, qui invocantibus Te salutis remedia promisisti; exaudi nos pro N. famula tua in tuo auxilio confidente: ut obstetricante manu misericordiæ tuæ, partu fiat sine sui & fœtus periculo jucunda, quæ tuo ex munere conceptu est gravida. Per Dominum.

Secreta.

Hostiam placationis tibi, omnipotens Deus! immolantes, quæsumus: ut famulam tuam N. maledictio, quam Eva prægnantibus demeruit mulieribus, non opprimat; sed misericordia tua, & subsidium Genitricis unigeniti Filii tui reddat salute securam, & prole felicem. Per Dominum.

Postcommunio.

Sumptis, Domine, Corporis & Sanguinis Unigeniti tui mysteriis, te supplices exoramus: ut pretiosis ejusdem Filii tui meritis: cujus ope hæc sunt perfecta, beata Maria Virgine intercedente, fiant famulæ tuæ N. ad evadendum periculum, & ad videndum salvum uteri sui fructum, te donante salutaria. Per eundem.

A. M. D. Gl. SS.
Q. PP. H.

TABULA

Pro Missis votivis.

Votiva	Color	Missa	Gloria	Credo	Præfatio	Communicantes	Orationes	Benedictio	Evang. S. Joannis
SSS. Trinitatis	Albus.	Propria	omittitur	omitti. tur	propria	*Commune per annum, nisi infra aliquam octavam, quæ propr. habet communicantes, tunc enim dicitur de Oct. licet Præfat. dicta sit propria Missæ votivæ, cum hæc sint separabilia. Infra Oct. Nativit. Domini, in Missa Votiva solemni, privatæ enim prohibentur, dicitur Præf. Missæ Votivæ si habeat prop. alioquin de Oct. Communicantes vero de Nativit.*	2 & 3. diei currentis	Benedicamus	*Legitur in omnibus Votivis, tam privatis, quam solemnibus licet fuerit commemoratio feriæ, vel alterius Homiliam habentis.*
S. Spiritus	Ruber	Propria	omittitur	omittitur	propria omisso *hodierna die*		2 & 3. diei currentis.	Benedicamus	
SS. Eucharistiæ	Albus	Propria	omittitur	omittitur	De Nativitate		2 & 3. diei currentis	Benedicamus	
De Cruce.	Ruber	Propria	omittitur	omittitur	Propria		2 & 3 diei currentis	Benedicamus	
De Passione Domini	Violaceus	Propria	omittitur	omittitur	De Cruce		2 & 3. diei currentis	Benedicamus	
De B. M. Virgine	Albus	Propria tempori conveniens	in Sabbato tantum dicitur	omittitur	Propria		2. diei current. 3 de Spiritu S.	Benedicamus. In Sabbat. Ite.	
De Sanctis Angelis	Albus	Propria	dicitur	omittitur	communis. vel de Tempore, vel de octav.		2. & 3. diei currentis	Ite.	
De Apostolis.	Ruber	Propria	omittitur	omittitur	Propria		2 & 3. diei loco *A Cunctis* dicitur *Concede* B. M. V.	Benedicamus	
Missa: Ad tollendum Schisma; Pro quacunque necessitate; Pro remissione peccatorum; Pro gratia bene moriendi; Contra Paganos; Tempore belli. Pro pace. Tempore pestis. Pro infirmis. Pro peregrinantibus.									
	Violaceus	Propria	omittitur	omittitur	commun vel de Tempore	commune aut de Octava	2. & 3. diei currentis	Benedicemus	
Pro Sponsis	Albus	Propria	omitti. tur	omittitur	commun. vel de Tempore.	commune vel de Oct.	2. & 3. diei currentis	Benedicamus	
Si fiat Die Dominico, vel festo, dicitur Missa Dominicæ vel festi cum commemoratione pro Sponsis.									
Pro Defunctis.	Niger	Propria	omittitur	omittitur	commun.	commun-	una, vel plures	Requiescant	

CO-

COROLLARIUM
de Missis Votivis.

Quamvis Missæ privatæ dici non possint currente Officio duplici, vel Dominica &c. pro re tamen gravi, vel publica Ecclesiæ causæ, Missa solemnis quacunque die, etiam Dominica, ac festo duplici cantari poterit, non tamen in Dominicis & festis, quæ sunt primæ classis. Quænam autem sit res gravis pro licita Votivæ Missæ decantatione, exprimit in sequenti Decreto S. R. C. sub die 19. Maji 1607. Res gravis pro licita Votivæ solemnis decantatione ea est, pro qua convenit totus Clerus cum Episcopo, vel apud Regulares in eorum commitiis generalibus, seu provincialibus, cum cantatur Missa pro re eorundem judicio gravi. Et in simili Missa solemni dicitur Gloria, Credo, Ite, Oratio unica. Si tamen hæc ipsa in paramentis violaceis perficeretur, prædicta videlicet, G. C. I. intermitterentur, nisi in Dominica, in qua dicitur Credo.

2. In Missis Votivis solemnibus de Sanctissima Trinitate, vel de Spiritu Sancto, aut de S. Maria, quæ dicuntur pro gratiarum actione, primæ Collectæ talis Missæ jungitur secunda Deus, cujus Misericordiæ sub unica conclusione; in Missis vero privatis secunda oratio dicenda erit Officii de more, & tertio loco, prædicta Deus, cujus Misericordiæ etc. sub conclusione separata.

3. Ad postulandam gratiam Spiritus Sancti, dicitur Missa de eodem S. Spiritu, sed loco orationis Deus qui corda Fidelium dicenda est oratio, Deus, cui omne cor patet. ut ibidem.

4. Qui celebrat Votivam de B. M. V. eo die, quo fit officium de festo aliquo Semid. infra Oct. ejusdem B. M. V. tenetur Missam dicere de Octava, sed more votivo sine Gloria, Credo, Ite, nisi fuerit Sabbathum, in quo dicitur Gloria, Ite, sine Credo.

5. Si quis infra aliquam Octavam B. M. V. celebrare vellet, aut deberet Missam Votivam de eadem B. M. V. eam dicat de illa Octava cum Gloria, Credo, Ite, non autem votivam; nec eam de festo more votivo, supposito tamen, quod etiam diei Officium eo die sit de octava, seu melius, de die infra Octavam.

6. De Festis mobilibus, v. g. de Nativitate, Circumcisione, Epiphania, Resurrectione, Ascensione D. N. I. C. item de aliis, quæ propriæ sunt solemnitatum, ut de assumotione, Nativitate B. M. V. de Nativitate S. Joannis Baptistæ, & quæ proprios habent introitus, Missæ votivæ non celebrantur; Sed, ut illis omissis Sacerdos satisfaciat petentis intentioni, dicere debet Missam de tempore occurrenti; Sancivit, & statuit Sanctissimus p. m. Paulus Papa V. Unde si Missa de Assumptione, & Nativitate B. M. V. Votiva peteretur, ea ex quinque illis votivis ad calcem Missalis sumenda esset. Missa tamen de SS. Rosario, & de septem Doloribus ejusdem B. M. V. votiva, licite accipitur illa, quæ universæ Ecclesiæ pro illis Festis nunc de novo est concessa.

7. Si dicenda esset Missa Votiva de SS. Apost. Petro & Paulo tempore Paschali; ea assumi deberet, quæ ponitur in festo S. Marci die 25. Aprilis; retentis tamen Oratione, Epistola, & Evangelio ex propria Missa votiva dictorum Apostolorum, quæ est in fine Missalis, & incipit: Mihi autem. Si petatur Votiva de S. Petro tantum, aut de S. Paulo solum. Missa dicitur votiva communis utrique Apostolo, cum intentione venerandi Apostolum, cujus Missa votiva petitur: nunquam enim separandi sunt ii, quos Ecclesia conjungit. Gavant. part. 4 tit. 17. n. 6.

8. In Votiva de S. Pauli Conversione. 2. Orat. dicitur de S. Petro. 3. Diei.

9. Missa Votiva de Omnibus Sanctis dicitur ut in Festo, præterquam, quod loco introitus Gaudeamus, &c. apte satis reponi possit introitus Timete Dominum &c. ut in festo S. Cyriaci, &c. Mart. 8. Augusti. Oratio vero erit Concede quæsumus &c. quæ est prima inter orationes diversas ad libitum. Tempore Paschali dic. Missa Sancti tui, ut in communi Martyrum T. P.

10. Si in votiva de Apostolis ratione temporis aliquid desit, v. g. Tractus, &c. sumitur ex Votiva SS. Petri & Pauli. Tempore Paschali ex Festo S. Marci. In Missis vero votivis de aliis Sanctis recurrendum est ad Commune.

11. Si petatur Missa Votiva de omnibus simul Apostolis, cum de omnibus simul nulla sit communis, obvia est votiva de SS. Petro & Paulo, dempta prima oratione, cujus loco dici poterit oratio ex Festo SS. Simonis & Judæ, 28. Octobris, omisso ly Simonem, & Judam.

12. Potest Sacerdos celebrans Missam Defunctorum administrare communionem Fidelibus intra ipsum sacrificium, id est, facta sui Communione antequam se purificet, ex particulis tam in eadem Missa consecratis, quam etiam in alia præconsecratis, atque ita existentibus in Pyxide; non tamen ante & post talem Missam, cum commode id fieri possit in superpelliceo, seu etiam Rochetto, & Stola coloris Officii illius diei convenientis, prout præscribit Rituale Romanum, vel coloris albi, valde convenientis Sacramento Eucharistiæ; à Benedictione tamen, uti & intra sacrificium pro vivis, semper abstinere debet. Idem etiam observandum est, dum alius Missam dicit, & alius ad eandem aram Fideles communicat.

INDEX

INDEX
NOMINUM SANCTORUM
HUJUS PROPRII.

Renov. 4.II. 1940

MJ.


Missale Romanum
Augsburg 1731